DE T. LUCRETII CARI TROPIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS OBTULIT

CAROLUS H. G. SPANGENBERG

VAAKENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

MDCCCLXXXI.

LEOPOLDO SCHMIDTIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

Recentioribus temporibus a viris doctis, maxime ab iis, qui ipsi arti poeticae operam dederunt, dictum est, id quod didacticum appellatur carmen, poëma non esse appelandum, itaque nostris temporibus hoc genus poësis fere omnino neglegi videmus, certe non ab iis coli, qui re vera poëtae appellari possunt. Etiam apud Graecos carmen didacticum, si Hesiodi et Orphei carmina praetermittimus, posterioribus demum temporibus magis colebatur, cum prioribus epicae et lyricae poësi maxime operam darent. Romani autem, qui animo ut ita dicam magis πρακτικῷ erant et quorum poësis a Graecis delata est, carmen didacticum, maxime ab Alexandrinis qui vocantur cultum, imitati sunt. Ita etiam Titus Lucretius Carus suscepit Epicuri philosophiam aequalibus suis exponere animosque eorum ad hanc doctrinam, quam unam veram esse putat, convertere. Multi alii Romanorum, Catonis, Varronis, Vergilii, Ovidii sis memineris, haud infeliciter aggressi sunt carminibus didacticis agriculturam, rem militarem alia exponere, sed nihil difficilius videtur esse quam systema philosophicum versibus tradere, maxime tale, quo omnia, quae usque ad illud tempus de dis, de fato, de immortalitate vera putabantur, dissolvi videbantur. Lucretius ipse I. 136 sq. dicit:

> Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
> difficile inlustrare Latinis versibus esse,
> multa novis verbis praesertim cum sit agendum
> propter egestatem linguae et rerum novitatem.

Sed maxime is errat, qui putaverit, Lucretii sermonem, quod materia tractata poscere videtur, quasi siccum et aridum esse

et animum legentis minime delectare posse. Lucretium verum poetam esse, eo maxime nosci potest, quod Vergilius, Ovidius, Horatius eum saepissime imitati sunt; summo iure Lucretius de se dicere potuit, se suaviloquis versibus verum exponere velle; quem enim tales poetae imitati sunt et a quo ut Ovidius non solum singula verba et sententias, sed totas partes mutuati sunt, is verus poeta fuit. Quis hoc dubitet, si primos versus libri primi ante oculos habet? quis hoc dubitet, si descriptionem vitae hominum primorum legerit, quam imprimis Ovidium imitatum esse constat? Omnes artes rhetoricae, quas apud posterioris temporis poëtas invenimus, iam apud Lucretium exstant. Summum decus carmini tribuit positione verborum, variis figuris, maxime iis quae adiectione fiunt, saepissime etiam alliterationem adhibet. Liceat mihi hoc loco nonnulla alliterationis exempla afferre*): I. 72: ergo vivida vis animi pervicit. II. 618: tympana tenta tonant. I. 92: muta metu. I. 202: multaque vivendo vitalia vincere saecla. Saepissime occurrit, quod I. 341 exstat: multa modis multis. I. 1024: sed quia multa modis multis mutata. II. 116: multa minuta modis multis. V. 1334: domi domitos. V. 926: durius ut decuit tellus quod dura creasset. V. 964: vel violenta viri vis. II. 684 sq.: sorsum sapor insinuatur sensibus. Equidem viro doctissimo, magistro meo honoratissimo suadente aggressus sum artem rhetoricam Lucretii accuratius investigare et iam audeo, ea quae de eius troporum usu collegi, iudicio doctorum virorum permittere.

*) In adnotandis Lucretii locis Lachmanni editione usus sum.

Priusquam ad Lucretii tropos exponendos accedamus, veterum sententias de iis audiamus. Quintilianus VIII. 6, 1 ita eos definit: Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Apud Tryphonem (Walz. Rhet. Gr. vol. VIII. p. 728) ita legimus: *τρόπος ἐστὶ λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν, ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον;* apud Greg. Cor. (ib. p. 763): *τρόπος ἐστὶ λέξεως φράσις ἐκ τῆς καθ' ἑαυτὴν ὁπωσοῦν ἰδιότητος μετατροπὴν εἰληφυῖα, διὸ καὶ τρόπος καλεῖται· παρείληπται δὲ ἤτοι χρείας ἕνεκα ἢ κόσμου περὶ τὴν φράσιν;* apud Hermog. (*περὶ εὑρέσεων*, ib. vol. III. p. 175): *τροπή ἐστι τὸ μὴ ἐξ ὑποκειμένου πράγματος ἀλλοτρίου δὲ σημαντικὸν ὄνομα θεῖναι, κοινὸν εἶναι δυνάμενον καὶ τοῦ ὑποκειμένου καὶ τοῦ ἔξωθεν ἐμφαινομένου.* De numero troporum sententiae veterum maxime differebant; saepissime quatuordecim enumerantur, qui omnes fere apud Lucretium nobis occurrunt.

A. De translatione.

Translationem saepissime, cum ipsi non animadvertamus, adhibemus, itaque eam etiam apud antiquitatis poëtas saepissime invenimus. Aristoteles de ea dicit Poët. 21, 4: *Μεταφορὰ δέ ἐστιν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ εἶδος ἢ ἀπό τοῦ εἴδους ἐπὶ τὸ γένος ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον.* Walz. Rhet. Gr. vol. VIII. p. 720: *μεταφορά ἐστι λέξις μεταφερομένη ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα.* Quint. VIII. 6, 4: Incipiamus igitur ab eo, (scl. tropo) qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae *μεταφορὰ* graece vocatur. Quae quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur, tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat. Neque enim volgaris esse neque humilis neque insuavis apte ac recte adscita potest. Copiam quoque

sermonis auget permittendo mutuari, quae non habet, quodque difficillimum est, praestat, ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur autem nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut (ut dixi) quia decentius. Ubi nihil horum praestabit, quod transferetur, improprium erit. Auctor ad Herennium IV. 34, 45: Translatio est, cum verbum in quandam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte videbitur posse transferri. — Consentaneum est, primis temporibus linguae translationem minus adhiberi quam posterioribus, itaque apud scriptores aetatis Augusteae hunc usum saepissime invenimus. Etiam Lucretius, qui nonnullis decenniis ante floruit, translatione utitur, et multos poetas posterioris temporis eum in hac re imitatos esse, sequentibus probare conabimur.

a. Translationes verborum.

Saepissime **fundendi** verbum transfertur. Multis locis huius verbi significatio ad sternendi inclinat. III. 113: effusumque iacet sine sensu corpus honustum. IV. 757: cum somnus membra profudit. Cic. Verr. V. 28: ut fusi sine mente ac sine ullo sensu iacerent. Verg. Aen. I. 192 sq.: septem corpora fundat humi; ib. XI. 665: humi corpora fundis. — VI. 401: Juppiter in terras fulmen sonitusque profundit. Val. I. 446: ingrato Steropen quod fuderat arcu. Similiter exstat Lucr. V. 1375: (olearum caerula plaga) per tumulos et convallis camposque profusa. VI. 744: (aves) praecipitesque cadunt molli cervice profusae. Sed hoc loco annotandum est, versus libri sexti 740—746 Pollii, viri doctissimi, sententia interpolatos esse, quam sententiam explicat Phil. vol. 26, p. 537. — Alio sensu fundendi verbum his locis adhibitum est: I. 39 sq.: suavis ex ore loquellas funde. V. 110*): Qua prius aggrediar quam de re fundere fata.

*) Hoc signo eos locos notavi, qui Munronis sententia interpolati sunt.

IV. 584 sq.: querellas, tibia quas fundit. IV. 539: (sermo) praesertim si cum summost clamore profusus. IV. 569: (pars vocum) lata perit frustra diffusa per auras. Val. I. 504: fundit voces. VIII. 69: carmina fundens. Aen. V. 482: talis effundit voces; ib. III. 344: talia fundebat. Similiter verbum his locis adhibitum est: III. 437 sq.: crede animam quoque diffundi multoque perire ocius et citius dissolvi in corpora prima. III. 583: emanarit uti fumus diffusa animae vis. III. 1033: lumine adempto animam moribundo corpore fudit. III. 940: sin ea, quae fructus cunque es periere profusa. Saepe profundere et profundi ibi exstat, ubi poetae usu etiam creare, in luminis oras exire poni posset. V. 224*) sq.: cum primum in luminis oras nixibus ex alvo matris natura profudit. V. 822 sq.: quoniam genus ipsa creavit humanum atque animal prope certo tempore fudit omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim. Duae hoc loco pulcherrimae translationes coniunctae sunt. V. 917: tempore quo primum tellus animalia fudit. I. 351: crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt. I. 174 sq.: praeterea cum vere rosam, frumenta calore, vites autumno fundi . . . videmus? Apud Ciceronem Tusc. V. 37 legimus: neque est ullum, quod non ita vigeat, ut aut flores aut fruges fundat aut bacas. Aen. VIII. 138 sq.: Vobis Mercurius pater est quem candida Maia Cyllenae gelido conceptum vertice fudit. Ad propriam significationem magis inclinat, quod II. 114 sq. exstat: cum solis lumina cumque inserti fundunt radii per opaca domorum. VI. 210: (nubes) ut . . . rubeant ignesque perfundant. Comp. Aen. VII. 122: agmina se fundunt portis. Val. I. 610 sq.: fundunt se carcere laeti Thraces equi. — Alia translationis exempla exstant I. 38 sq.: hunc tu, diva, tuo recumbantem corpore sancto circumfusa super. Comp. Liv. VIII. 35: degressum eum circumfusi. Ov. met. IV. 3, 6: et nunc hac iuveni, nunc circumfunditur illac. ib. XIV. 5, 85: collaque parentis circumfusa sui. Aen. VIII. 406: coniugis infusus gremio. — Lucr. I. 88 sq.: cui simul infula virgineos circumdata comptus ex utraque

pari malarum parte profusast. IV. 81 sq.: et quanto circum mage sunt angusta theatri moenia, tam magis haec intus perfusa lepore omnia conrident correpta luce diei. IV. 923 sq.: namque iaceret aeterno corpus perfusum frigore leti. II. 820 sq.: cur ea quae constant ex illis non penitus sunt omne genus perfusa coloribus? II. 148: perfundens omnia luce. VI. 479: suffunduntque sua caelum caligine. III. 303 sq.: nec nimis irai fax unquam subdita percit fumida suffundens caecae caliginis umbra. VI. 1146: et duplicis oculos suffusa luce rubentes. III. 39: (metus) omnia suffundens mortis nigrore. II. 821: perfusa coloribus. Aen. V. 111: ostro perfusae vestes. Lucr. V. 593: et calido perfundat cuncta vapore. Similiter aliis locis convestire et spargere adhibetur: II. 144 sq.: primum aurora novo cum spargit lumine terram, quam translationem apud Vergilium saepissime invenimus. Lucr. II. 147 sq.: quam subito soleat sol . . . . convestire sua perfundens omnia luce. Aen. VI. 640: largior hic campos aether et lumine vestit. Etiam conserere simili sensu a Lucretio usurpatur II. 211: (sol) lumine conserit arva.

Accendo et similia. A Lucretio haec verba saepius transferuntur; iam ea quae gravissima exempla sunt afferamus liceat. Sub finem libri sexti Thucydidem imitatus poeta nobis pestilentiam proponit, quae Periclis aetate Athenas vastavit, multaque ibi exempla translationis inveniuntur: ita legimus VI. 1145: principio caput incensum fervore gerebant. VI. 1172: in fluvios partim gelidos ardentia membra dabant. VI. 1168 sq.: intima pars hominum veroflagrabat ad ossa, flagrabat stomacho flamma. — Alia translationis exempla exstant V. 659: (sol) anticipat caelum radiis incendere temptans. Val. VIII. 115: nubibus accensis, ib. III. 411: oriens accenderit. Verg. Georg. IV. 401: medio cum sol accenderit aestus. — Aliae translationes exstant I. 473 sq.: nunquam Tyndaridis formae conflatus amore ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens clara accendisset saevi certamina belli. II. 959: ac paene amissos accendere sensus. II. 942 sq: quibus omnituentes accensi sensus animantum

concuterentur. III. 385 sq.: sed communibus inter eas conflatur utrimque motibus accensus nobis per viscera sensus. V. 173*): quid potuit novitatis amorem accendere tali? VI. 347: corpora quae plagis incendunt mobilitatem. I. 1117: ita res accendunt lumina rebus. Tota sententia metaphorica est; poeta dicere vult, res i. e. mundum rebus ipsis pervestigandis nobis clarescere. — Liceat aliorum poetarum, qui Lucretium imitati sunt, nonnulla exempla afferre: Aen. IV. 203: rumore accensus amaro; ibid. X. 368: dictis virtutem accendit amaris. Val. II. 385: monitis accensus amaris, IV. 354: Iuno accensa cura iugali; VII. 637: accensae cohortes. — Lucr. V. 897: nec simili Venere ardescunt. IV. 1090: tam magis ardescit dira cuppedine pectus. Ov. met. VI. 609 sq.: ardet et iram non capit ipsa suam Progne. — Lucr. IV. 1199 sq.: si non ipsa, quod illorum subat, ardet abundans natura et Venerem salientum laeta retractat. — Saepissime etiam fervere et fervescere transferuntur. II. 928: vermisque effervere = innumero numero ex putore terrae evadere. Similiter Verg. Georg. IV. 556 exstat: stridere apes utero et ruptis effervescere costis. III. 494: ventorum validis fervescunt viribus undae. VI. 427 sq.: quam freta circum fervescunt graviter spirantibus incita flabris. — Lucr. IV. 608 sq.: Munro »fervunt« legi vult, Lachmannus »feriunt«, quod minus placet; verba quae ibi exstant, sunt: »ergo replentur loca vocibus, abdita retro omnia quae circum feriunt, sonituque cientur«. Pollius Munronis coniecturam probat; similia enim etiam apud alios scriptores invenimus: Verg. Aen. IV. 407: opere omnis semita fervet. ibid. VIII. 677 sq.: totumque instructo Marte videres fervere Leucatem. Martial. II. 64: fora litibus omnia fervent. In libris manu scriptis »fuerunt« exstat. — II. 40 sq.: si non forte tuas legiones per loca campi fervere cum videas; ibid. 44: fervere cum videas classem lateque vagari. Similiter apud Acc. 482 legimus: classis adit, occluditur, fervit. — Alio sensu fervere aliis locis exstat: III. 288 sq.: in ira cum fervescit (scl. animus) et ex oculis micat acribus ardor. Duas iterum

pulcherrimas translationes coniunctas habemus. III. 294 sq.: illis quibus acria corda iracundaque mens facile effervescit in ira. V. 1334 sq.: si quos ante domi domitos satis esse putabant, effervescere cernebant in rebus agundis. Eodem modo Valerius ignescendi verbo utitur: V. 520: furiis ignescit. Aen. IX. 66: ignescunt irae. — Etiam flagrare apud Lucretium transfertur: IV. 1165: flagrans (= iracunda) odiosa loquacula. —

Fluo fluctuo. Saepius haec verba de motibus primordiorum, e quibus universum constat, adhibentur. Sufficiat nonnullos locos afferre: IV. 309: semina multa fluunt simulacris obvia rerum. I. 902 sq.: (semina) terendo quae cum confluxere. Sed etiam praeterea saepius verbum transfertur. IV. 675: unde fluens volvat varius se fluctus odorum. III. 197: ut ab summo tibi diffluat altus acervus. VI. 795: et manibus nitidum teneris opus effluit ei. Ita optime exprimitur lente opus e manibus mulieris in terram lapsum esse. Similiter legimus Ov. met. III. 39: effluxere urnae manibus. — III. 936 sq: et non omnia pertusum congesta quasi in vas commoda perfluxere atque ingrata interiere. IV. 919: dissoluuntur enim tum demum membra fluuntque. VI. 1204: huc hominis totae vires corpusque fluebat. Similiter liquescere usurpatur IV. 111: membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt. — Eodem fere sensu ac fluere etiam fluctuare adhibetur: III. 720, sq.: unde animantum copia tanta exos et exanguis tumidos perfluctuat artus? III. 1052: atque animi incerto fluitans errore vagaris. IV. 1076 sq.: etenim potiundi tempore in ipso fluctuat incertis erroribus ardor amantum. Ad propriam verbi significationem magis inclinat, quod IV. 75 sq. exstat: vela . . . trementia flutant. — Alii quoque poetae hoc verbum elegantissime transtulerunt: Cat. VI. 4, 82: magnis curarum fluctuat undis. Verg. Aen. IV. 532: magnoque irarum fluctuat aestu; ib. XII. 527: fluctuat ira intus. Val. III. 637: at pius ingenti Telamon iam fluctuat ira.

Floreo. Hoc verbum a permultis scriptoribus etiam pedestris sermonis transfertur. I. 255: laetas urbes pueris florere videmus.

I. 1033 sq: summissaque gens animantum floreat. V. 888: aevo florente. V. 895: (monstra) quae neque florescunt. V. 1442: iam mare velivolis florebat puppibus. V. 912: gemmis florere arbusta suësse. His locis florere pro nitere usurpatum est, ut etiam IV. 450: lucernarum florentia lumina flammis. Quis hoc loco non meminerit Homeri illius: πυρὸς ἄνθος. Similiter legimus apud Verg. Aen. VII. 804: florentis aere catervas. Stat. Theb. I. 704 sq.: aetherii dono cessere parentis aeternum florere genas. Val. I. 537: iam pridem regio undat equis floretque viris = armis virorum; ibid. V. 564: variis floret via discolor armis; ib. VII. 77: armata florescunt pube novales.

Pleo. Hoc quoque verbum saepissime translatum invenimus. IV. 350: (aër) crassior insequitur qui cuncta foramina complet. IV. 319: qui simul atque vias oculorum luce replevit. II. 806: caudaque pavonis, larga cum luce repleta est. IV. 377 sq.: propterea facile et spoliatur lumine terra et repletur item nigrasque sibi abluit umbras; item explere atque abluere coniuncta inveniuntur IV. 875*) sq.: sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro abluitur, sic expletur ieiuna cupido. III. 1003 sq.: deinde animi ingratam naturam pascere semper atque explere bonis rebus satiareque nunquam. III. 1007: nec tamen explemur vitai fructibus unquam. IV. 1093: hoc facile expletur laticum frugumque cupido; similiter apud Valerium legimus: IV. 323: expleri victor nequit. Aen. VIII. 265: nequeunt expleri corda tuendo horribilis oculos; ib. 618: expleri nequit. — V. 226*) legimus: vagituque locum lugubri complet. II. 146: aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent. IV. 607: ergo replentur loca vocibus. II. 358 sq: completque querellis frondiferum nemus adsidueis. V. 992 sq.: et nemora ac montis gemitu silvasque replebat viva videns vivo sepeliri viscera busto. Pulcherimus hic locus est et vere poëticus; poëta dicere vult homines a bestiis raptos ab aliis animalibus vivis vivos devorari; accedit praeterea alliterationis usus, quae pulchritudinem loci maxime auget. Bustum saepius ita a poëtis transfertur; ita

Propertius dicit II. 1, 27: quoties civilia busta Philippos canerem. — Aliud exemplum exstat IV. 531 sq.: ire foras ubi coeperunt primordia vocum, scilicet, expleti quoque ianua raditur oris. Similis usus verbi etiam apud alios scriptores invenitur: Verg. georg. IV. 515: et maestis late loca questibus implet. Aen II. 767: clamore vias, III. 313: clamore locum implere; VII. 395: ululatibus aethera complere. Val. VI. 738: implevit plangore lacus. II. 458: avia gemitu implere; VIII. 143: ululatibus auras implere. — VI. 645 exstat: cernentes pavida complebant pectora cura; II. 1170: anticum genus ut pietate repletum: V. 40: (terra) trepido terrore repletast. Comparari possunt Val. IV. 81: alacrem laetis hortatibus implet. VI. 630: animis moriturum ingentibus implet. Aen. VII. 475: Rutulos animis audacibus implet; ib. III. 434: animum si veris implet Apollo.

Haurio, quod »avide bibo« proprie significat, aliis locis pro »summo studio peto« usurpatur. V. 990 sq.: unus enim tum quisque magis deprensus eorum pabula viva feris praebebat, dentibus haustus. Similiter Livius scribit X. 10: Romanus ... uno alteroque subinde ictu ventrem atque ingenuina hausit et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. Lucr. V. 1324 sq.: (tauri) latera ac ventres hauribant supter equorum cornibus. VI. 140 sq.: hic (scl. flatus) .... in terra cum tamen alta arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. VI. 1140: (mortifer aestus) exhausit civibus urbem. Similiter exstat Liv. III. 32: vastati agri sunt, urbs assiduis exhausta funeribus; haustus transfertur V. 1068 sq.: aut ubi eos iactant pedibus morsuque petentes suspensis teneras imitantur dentibns haustus, ubi pro »imitantur« Lachmannus »minitantur« legi vult. — Vergilius et Valerius etiam hauriendi verbum transferunt, sed alio sensu; ita Aen. VI. 559 exstat: strepitumque exterritus hausit = studiose audivit. Val. I. 262 sq.: stupet in ducibus magnumque sonantes hausit.

Rigo irrigo. Haec verba saepius pulcherrime transferuntur: IV. 200 sq.: solis uti lux ac vapor haec puncto cernuntur lapsa

diei per totum caeli spatium diffundere sese perque volare mare ac terras cirumque rigare. V. 281 sq.: largus item liquidi fons luminis, aetherius sol, inrigat adsidue caelum candore recenti; aliis locis, ut supra vidimus, eodem sensu replere usurpatur. V. 592 sq: (sol) quod maria ac terras omnis caelumque rigando compleat et calido perfundat cuncta vapore. Similiter legitur Aetna 385: quaecunque rigant incendia silvae. Lucr. II. 262: et hinc motus per membra rigantur. IV. 907 sq.: nunc quibus ille modis somnus per membra quietem irriget atque animi curas e pectore solvat. Apud Lactantium similiter legimus: membra sopore irrigata. Macr. sat. VI. 1, 44: mitemque rigat per pectora somnum. Aen. I. 691 sq.: placidam per membra quietem inrigat; ibid. III. 511: fessos sopor inrigat artus. Propria verbi exstat significatio IV. 1029: cum Babylonica magnifico splendore rigantur, ubi »magnifico splendore« attributum ad Babylonica appositum est.

Pasco, quod nobis supra occurrit translatum, similiter saepius aliis locis transfertur. I. 36: pascit amore avidos . . . visus. Eodem modo nostra lingua dicimus: »den Blick weiden.« II. 419: (colores) oculos qui pascere possint. — Magis ad propriam significationem inclinat, quod I. 231 exstat: unde aether sidera pascit? I. 1090: et solis flammam per caeli caerula pasci. — III. 1003: animi ingratam naturam pascere semper. — III. 12: depascimur aurea dicta; nos quoque dicimus: »er verschlang förmlich seine Worte.« II. 705 similiter ut supra I. 231 exstat: tum flamman taetro spirantis ore Chimaeras pascere naturam. II. 996: omnes corpora pascunt. Etiam apud pedestris sermonis scriptores pascendi verbum transferri videmus: Tac. hist. III. 31: saevissima Vitellii vox, qua se pavisse oculos spectata inimici morte iactavit. Sen. ep. 58, 25: oculos, ut dici solet, pascit. —

Pando; pango. Utrumque verbum et proprie et metaphorice a Lucretio adhibetur: V. 656 sq.: Tempore item certo roseam Matuta per oras aetheris auroram differt et lumina pandit.

I. 144: clara tuae possim praepandere lumina menti. Tota sententia translata est nosque monet illius quod supra invenimus I. 1117: ita res accendunt lumina rebus. — VI. 359: et cum tempora se veris florentia pandunt. — I. 55: rerum primordia pandam. I. 126: rerum naturam expandere dictis. V. 54: atque omnem rerum naturam pandere dictis. Cic. Arat. 40 legimus: hiberni praepandens temporis ortus. — Quod I. 25 invenimus: (versibus) quos ego de rerum natura pangere conor, etiam apud alios scriptores exstat, e. gr. Cic. ad Att. VI. 2; XIV. 2.

Claudico et similia. VI. 834: claudicat extemplo pinnarum nisus inanis. IV. 515: et libella aliqua si ex parti claudicat hilum. VI. 1107 sq: et quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis. Explicationis causa quaeso compares Verg. georg. I. 240 sq.: Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces consurgit, premitur Libyae devexus in austros. — III. 452: claudicat ingenium, delirat lingua, labat mens. Simili modo de sobrio dicitur III. 478 sq.: praepediuntur crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens, nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt. IV. 1123 sq.: poëta ruinam eius nobis proponit, qui nimis amoris ardore accensus est, cum dicat: labitur interea res et Babylonica fiunt, languent officia atque aegrotat fama vacillans.

Vomo; exspuo. I. 724: faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis. VI. 828: ibi sit quoque vita vomenda. VI. 894: quod dulcis inter salsas intervomit undas. II. 199: tam cupide sursum revomit magis atque remittit. Munro hoc loco Naugerium secutus »revomit« pro »removet« in textum recepit. VI. 447: (vortex) turbinis immanem vim provomit atque procellae. Similiter vomere translatum est Aen. X. 414: vomens calidum de pectore flumen; ibid. 349: vomit ille animam. Compares quaeso quod supra exstat VI. 828. — II. 1041: exspuere ex animo rationem. V. 352: respuere ictus. VI. 68: quae nisi respuis ex animo longeque remittis. II. 196 sq.: nonne vides etiam quanta vi tigna trabesque respuat umor aquae. VI. 1054: quo pacto respuit ab se atque per aes agitat. II. 388: praeterea lumen

per cornum transit, at imber respuitur. Etiam apud alios scriptores similes translationes invenimus: Ter. Eun. 406: Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. Liv. XI. 14, 2: omnis et defensio et deprecatio legatorum respuebatur.

Sudo; vaporo; ingemo. VI. 1147 sq.: sudabant etiam fauces ... sanguine. Enn. trag. 213: terra sudat sanguine. Liv. XXVII. 4, 14: quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. — VI. 942 sq.: principio fit ut in speluncis saxa superne sudent umore et guttis manantibu' stillent. Lucan. IV. 301: antra nec exiguo stillant sudantia rore. Pro »summo labore contendere« sudare usurpatum est V. 1129*) sq.: proinde sine in cassum defessi sanguine sudent, angustum per iter luctantes ambitionis. Similiter vaporare usurpatum est V. 1131*) sq.: invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant. Simili sensu ingemere adhibitum est V. 207*) sq.: vis humana .. consueta bidenti ingemere.

Insinuo. III. 485 sq.: paulo si durior insinuarit causa. I. 408 sq.: caecasque latebras insinuare. V. 43 sq.: quae proelia nobis atque pericula tumst ingratis insinuandum. V. 854 Lachmannus in textum recepit: mutaque insinuent inter se gaudia vitae. Munro autem hic legi vult: mutua qui mutent i. s. g. v., quod ad lectionem libri msc.: »mutua qui metuent«, propius accedit. — Magis ad propriam significationem inclinat, quod VI. 955 exstat: morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur. II. 684 sq.: fucus item sorsum, sorsum sapor insinuatur, quod alliterationis exemplum supra commemoravimus. V. 73: et quibus ille modis divom metus insinuarit pectora.

Percello; perfigo. I. 12 sq.: aëriae primum volucres te, diva, tuumque significant initum perculsae corda tua vi. I. 261: (nova proles) ludit lacte mero mentes perculsa novellas. Ita etiam legitur Plaut. trin. 242: nam qui amat quod amat quom extemplo eius saeviis perculsus est. Alii supra pro »perculsae« »percussae« legi volunt, quod etiam sanum sensum reddit; variis enim locis Lucretius etiam percutiendi verbo similiter utitur: I. 922: percussit thyrso laudis spes magna meum cor. II. 885:

aninum quod percutit ipsum. V. 1222 sq.: regesque superbi corripiunt divum percussi membra timore. Aen. IX. 197: magno laudum percussus amore. Val. I. 743: quatiuntque truces oracula Colchos. — Apud Lucretium I. 19 legimus: omnibus incutiens blandum per pectora amorem. Verg. georg. II. 886: percutit animum. Cic. ad Att. IV. 8, 6: Romae esse hominem percussit animum. — II. 360 legitur: desiderio perfixa iuvenci. III. 305: nec gelidis torpet telis perfixa pavoris, ubi tota sententia translata est.

Sepelio. Hoc verbum saepius a Lucretio transfertur. I. 133: morbo adfectis somnoque sepultis. V. 975: sed taciti respectabant somnoque sepulti. II. 570: neque in aeternum sepelire salutem. VI. 193: sepultis undique ventis = remotis. Magis ad propriam significationem inclinat, quod VI. 1271 exstat: ulceribus taetris prope iam sordique sepulta = tecta.

Delibo. Hoc verbum et proprie et metaphorice poeta usurpat. III. 213: nil ibi libatum de toto corpore cernas. III. 1087 sq.: nec prorsum vitam ducendo demimus hilum tempore de mortis nec delibare valemus. V. 260: terra tibi libatur = minuitur. III. 23 sq.: neque ulla res animi pacem delibat. Minus usitatum est, quod VI. 70 sq. exstat: delibata deum per te tibi numina sancta saepe oberunt, ubi delibata optime per: »die geschmälerten« reddendum erit. —

Alia translationis exempla exstant: IV. 817*): ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi. Aen. I. 684: notos pueri puer indue vultus. Val. II. 398 sq.: thalamos excussaque vincla (coniugii) induere. — II. 274 sq.: caerula quae sint nunquam in marmoreum possint migrare colorem = verti. V. 830 sq.: omnia migrant, omnia commutat natura et vertere cogit. — III. 311: quin proclivius hic iras decurrat ad acris. III. 1042: ipse Epicurus iit decurso lumine vitae. IV. 1196: spatium decurrere amoris. II. 960 sq.: nam quare potius leti iam limine ab ipso ad vitam possit conlecta mente reverti, quam quo decursum prope iam siet ire et abire. Imago a spatio sumpta est.

Comp. Ov. tristia III. 433: pede inoffenso spatium decurrere vitae. Cic. Tusc. I. 5: nunc vides calcem, ad quam cum sit decursum, nihil praeterea sit extimescendum. — I. 447: nec quae sub sensus cadat ullo tempore nostros. IV. 1049: namque omnes plerumque cadunt in vulnus. II. 1165: in cassum manuum cecidisse labores. V. 328 sq.: tot facta virum totiens cecidere neque usquam aeternis famae monimentis insita florent. — I. 11: et reserata viget genitalis aura favoni. Ov. fast. II. 453 sq.: et sex reserata diebus carceris Aeolii ianua laxa patet. Similiter Valerius I. 655 scripsit: emicuit reserata dies. — Procudere saepius transfertur: II. 1115: et ignem ignes procudunt aetheraque aether; verba antecedentia sunt: terreno corpore terra crescit, itaque procudere hic gignendi sensum habet, ut saepius. V. 850: propagando procudere saecla; V. 856: propagando procudere prolem. III. 1081: nec nova vivendo procuditur ulla voluptas. — I. 349: et uberibus flent omnia guttis. Senec. Thyest. 702: flevit in templis ebur. — I. 66 sq.: primum Graius homo mortalis tendere contra est oculos ausus primumque obsistere contra; similiter apud Liv. VI. 13 exstat: nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant. Verg. Aen. V. 508: pariterque oculos telumque tetendit. Simile exemplum apud Propertium I. 15, 37 exstat. — I. 74: atque omne immensum peragravit mente animoque. Cic. d. fin. II. 102: mente peragravisset. Hor. od. I. 28, 5: animoque rotundum percurrisse polum morituro. — I. 77: alte terminus haerens; similem hic locus significationem habet ac II. 1087: vitae depactus terminus alte. Aen. IV. 614: hic terminus haeret. — A textura translata sunt haec: I. 149: exordia sumet. V. 331: neque pridem exordia cepit. Aen. IV. 284: quae prima exordia sumat. III. 695: (animae) tam contextae cum sint. V. 389: radiisque retexens aetherius sol = delens. I. 418: ut repetam coeptum pertexere dictis. — canere pro resonare dictum est I. 256: novis avibus canere undique silvas. — III. 298: pectora qui fremitu rumpunt. Aen. XII. 526 sq.: nunc fluctuat ira intus,

rumpuntur nescia vinci pectora. Val. V. 340: lumina rumpere fletu. — V. 697 sq.: sub terris ideo tremulum iubar haesitat ignis nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus. II. 13: ad summas emergere opes, rerumque potiri. Paterc. II. 65: in quod iam emersisset fastigium. Omnino translatum est, quod III. 829 exstat: (anima) in nigras lethargi mergitur undas. Elegantissime bis mersare transfertur: VI. 1176: sitis arida corpora mersans. Similiter Statius Ach. I. 303 dicit: totisque novum bibit ossibus ignem. Lucr. V. 1007 sq.: tum penuria deinde cibi languentia leto membra dabat, contra nunc rerum copia mersat. Hor. ep. I. 1, 16: nunc agilis fio, et mersor civilibus undis. — II. 17: nil aliud sibi naturam latrare. Enn. ann. 570: animus cum pectore latrat. Hor. sat. II. 2, 17: cum sale panis latrantem stomachum bene leniet. — II. 400 sq.: taetra absinthi natura ferique centauri foedo pertorquent ora sapore = imbuunt. Verg. georg. II. 264 sq.: at sapor ora tristia temptantum sensu torquebit amaro. — II. 869: sed magis ipsa manu ducunt = docent. Aen. III. 372: ipse manu multo suspensum numine ducit. Graece habemus eodem sensu χειραγωγεῖν. II. 1043: dede manus, aut, si falsum est, accingere contra = concede aut repugna. II. 1129: manus dandum est = concedendum est. — VI. 1237: cumulabant funere funus. III. 71: caedem caede accumulantes. Cic. d. off. I. 116: Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam; in Cat. I. 14: nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulavisti? Similiter dictum est V. 1202: votis nectere vota. — III. 1090: vivendo condere saecla. Explicandi causa afferamus liceat Verg. ecl. IX. 52: hos longos cantando condere soles. Hor. od. IV. 5, 29: condere diem. Statius Theb. X. 54: condiderunt iam vota diem. Aliis locis pro eo vincere dictum est: III. 948: vivendo vincere saecla. I. 202: multaque vivendo vitalia vincere saecla. Verg. g. II. 297: multa virum volvens durando saecula vincit. Aen. XI. 160: vivendo vici mea fata. Alio sensu condendi verbum usurpatum est. V. 1 sq.: quis potis est dignum pollenti pectore carmen

condere? — IV. 249: (aër) perterget pupillas atque ita transit; ib. 250 sq.: et quanto plus aeris ante agitatur et nostros oculos perterget longior aura; ib. 277: post extranea lux oculos perterget et aer; etiam de sonitu ita usurpatur VI. 119: aridus unde auris terget sonus ille. — percipere et proprie et metaphorice apud Lucretium adhibetur: IV. 119: quam quae percipiunt oculos visumque lacessunt. III. 79 sq.: et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae percipit humanos odium lucisque videndae. V. 605: aëra percipiat calidis fervoribus ardor. VI. 804: at cum membra domus percepit fervidior vis. — IV. 804*): conferre manu certamina pugnae. Aen. X. 146 sq.: inter sese duri certamia belli contulerant; similiter Liv. XXVI. 48: ut manus inter se conferant. — IV. 869: ut amorem opturet edendi, quae locutio raro invenitur. — V. 14 sq. namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris vitigeni laticem mortalibus instituisse; similiter legimus Aen. VI. 69: tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum instituam festosque dies de nomine Phoebi. — V. 392: tantum spirantes aequo certamine bellum. Cic. ad Att. XV. 11, 1: fortibus sane oculis Martem spirare diceres. — III. 141 sq.: haec loca circum laetitiae mulcent. V. 573 sq.: calor quoniam solis lumenque profusum perveniunt nostros ad sensus et loca mulcent. V. 20 sq.: ex quo nunc etiam per magnas didita gentis dulcia permulcent animos solacia vitae. V. 1316 sq.: nec poterant equites fremitu perterrita equorum pectora mulcere. V. 1390: haec animos illis mulcebant. — VI. 568 sq. respirare proprie et metaphorice exstat: quod nisi respirent venti, vis nulla refrenet res neque ab exitio possit reprehendere euntis: nunc quia respirant alternis inque gravescunt i. e. validiores fiunt, vim suam resumunt. Similiter Cicero dicit pro Quinctio 53: respirasset cupiditas atque avaritia paulum. — tremere I. 1089 elegantissime usurpatum est pro nitere: atque ideo totum circum tremere aethera signis. — II. 412 sq.: musaea mele, per chordas organici quae mobilibus digitis expergefacta figurant — VI. 684: concinnat hiatum VI. 436. sq.: hinc prorumpitur in mare venti

vis et fervorem mirum concinnat in undis. VI. 1118: varius concinnat id aer. — III. 1037 sq. elegantissime poeta dicit: quorum unus Homerus sceptra potitus eadem aliis sopitu' quietest. — V. 1290: vulnera vasta serebant. — II. 329: et circum volitant equites. II. 213: volare per imbres fulmina cernis IV. 390: velisque volamus. VI. 559: vox . . . dum transvolat auras. — II. 627: ninguntque rosarum floribus = rosas magna multitudine spargunt. — I. 401: fidem dictis conradere = summo labore parare.

b. Translationes substantivorum.

Saepissime nobis occurrit moenia mundi, ita V. 371; II. 1045; flammarum moenia I. 1102. Hi sunt fines mundi, qui ignei cogitabantur totum mundi orbem circumdantes. — Item foedera naturai saepius invenimus = leges naturales. I. 586. II. 254 exstat: quod fati foedera rumpat. — Saepius cacumen transfertur, ita ut finem supremum vel imum et partes minimas saepius significet. I. 599 sq.: quia nam est extremum quodque cacumen corporis ullius, I. 749 sq.: cum videamus id extremum cuiusque cacumen esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur. II. 1130: donec alescendi summum tetigere cacumen = finem. V. 1457: artibus ad summum donec venere cacumen. — Saepissime vulnus transfertur: V. 1196 sq.: quantaque nobis volnera = mala, dolores. I. 34: aeterno devictus vulnere amoris, II. 639: aeternumque daret matri sub pectore volnus. Aen. I. 36: aeternum servans sub pectore vulnus. Multis praeterea locis »vulnus amoris« invenimus, ita IV. 1070. 1120. Ov. her. 420: Urimur et caecum pectora vulnus habet. VI. 420 sq. legimus: cur demit imaginibus (scl. deorum) violento vulnere (i. e. fulminis ictu) honorem? Similiter clades pro interitu exstat: V. 236 sq.: scire licet caeli quoque item terraeque fuisse principiale aliquod tempus clademque futuram. VI. 565 sq.: et metuunt magni naturam credere mundi exitiale aliquod tempus clademque manere. VI. 1090 sq.: aut unde repente mortiferam possit cladem conflare coorta

morbida vis hominum generi pecudumque catervis. VI. 1125 de aëre depravato dicit isque ab eo appellatur: haec ..... clades nova pestilitasque. — Saepius fluctus et similia transferuntur: III. 298: nec capere irarum fluctus in pectore possunt. VI. 34: volvere curarum tristis in pectore fluctus. VI. 74: magnos irarum volvere fluctus. Aen. XII. 83: irarum tantos volvis sub pectore fluctus. — IV. 675 legitur: unde fluens volvat varius se fluctus odorum. — V. 1289 sq.: belli miscebant fluctus — V. 1435: et belli magnos commovit funditus aestus. III. 173: et in terra mentis qui gignitur aestus. — III. 303: nec nimis irai fax unquam subdita percit. — Habena ut a Vergilio et Valerio iam a Lucretio transfertur. II. 1095 sq.: (deis) quis habere profundi indumanu validas potis est moderanter habenas. V. 786 sq.: arboribusque datumst variis exinde per auras crescendi magnum immissis certamen habenis. Aen. VII. 600: rerum reliquit habenas; ib. V. 662: furit immissis Volcanus habenis; ib. VI. 1: classique inmittit habenas. Val. V. 518: Caucasus adque tuis quantum mitescat habenis, quo loco ut supra apud Lucretium habenis pro imperio positum est. — VI. 743: (aves) remigi oblitae pennarum vela remittunt. — Tenebrae atque lumen saepius a poeta transferuntur: I. 146: hunc igitur terrorem animi tenebrasque. V. 10 sq.: quique per artem fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris in tam tranquillo et tam clara luce locavit. III. 1 sq.: E tenebris tantis tam clarum extollere lumen qui primus potuisti inlustrans commoda vitae. V. 175: in tenebris vita ac maerore iacebat. III. 77: ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur. II. 15 sq.: qualibus in tenebris vitae quantisque periclis degitur hoc aevi quod cumquest. I. 144: clara tuae possim praepandere lumina menti. — VI. 158 sq.: ventus enim cum confercit, franguntur in arto concreti montes nimborum et grandine mixti. — IV. 172 sq.: usque adeo taetra nimborum nocte coorta impendent atrae formidinis ora superne. Verg. georg. I. 328: media nimborum in nocte. Val. I. 774: veteris sub nocte cupressi; ib. VIII. 25: nemoris nox — V. 251 sq.:

pars terrai non nulla . . . pulveris exhalat nubem nubesque volantis. — V. 276: »aeris mare« exstat; nos quoque dicimus: das weite Luftmeer. — Saepissime nodus transfertur: I. 931 sq.: et artis religionum animum nodis exsolvere pergo. IV. 1116: nam vitare plagas in amoris ne iaciamur non ita difficile est quam captum retibus ipsis exire et validos Veneris perrumpere nodos. VI. 877 sq: quasi saepe gelum, quod continet in se, mittit et exolvit glaciem nodosque relaxat. VI. 356 sq.: (elementa) dissolvunt nodos omnis et vincla relaxant. II. 949 sq: donec materies . . . vitalis animae nodos a corpore solvit. Item vincla et claustra saepius transferuntur: I. 70 sq.: irritat animi virtutem, effringere ut arta naturae primus portarum claustra cupiret. I. 414 sq.: ut verear ne tarda prius per membra senectus serpat et in nobis vitai claustra resolvat. III. 396: et magis est animus vitai claustra coërcens. — IV. 1107: atque in eost Venus ut muliebria conserat arva. — IV. 1233: nec divina satum genitalem numina cuiquam absterrent. I. 476 sq.: nec clam durateus Troiianis Pergama partu inflammasset equos nocturno Graiiugenarum. — IV. 1086 sq.: namque in eo spes est, unde est ardoris origo, restingui quoque posse ab eodem corpore flammam. Quaeritur utrum hoc loco allegoriae tropus statuendus sit an simplex translatio sit. Ceterum ignis et ardor aliis quoque locis similiter transferuntur: I. 473 sq: numquam Tyndaridis formae conflatus amore ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens, clara accendisset certamina belli. III. 288 sq: in ira cum fervescit et ex oculis micat acribus ardor. Aen. XII. 102: oculis micat acribus ignis. — Filum saepius pro figura usurpatur: V. 588 sq.: perparvom quiddam inter dum mutare videtur alteram utram in partem filum, quo longius absunt — Pullus pro »stirps« exstat V. 1363 sq.: arboribus quoniam bacae glandesque caducae tempestiva dabant pullorum examina semper. — IV. 1063: (decet) pabula amoris absterrere sibi. V. 1074 sq.: inter equas ubi equus florenti aetate iuvencus pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris. IV. 1068: ulcus enim (scl. amoris) vivescit. — Via

saepius transfertur: II. 10: errare atque viam palantis quaerere vitae. II. 917: et leti vitare vias. VI. 27 sq: viam monstravit, tramite parvo qua possemus ad id recto contendere cursu; item legimus Amm. XXII. 10, 2: ab aequitatis recto tramite deviare; nos dicimus: »den Pfad der Tugend verlassen«. — IV. 1185 sq. poeta de meretricibus dicit: »quo magis ipsae omnia summo opere hos (scl. amantes) vitae poscaenia celant.« — III. 769 sq.: quove modo poterit pariter cum corpore quoque confirmata cupitum aetatis tangere florem vis animi? V. 847: nec potuere cupitum aetatis tangere florem. I. 563 sq.: et finita tempora rebus stare, quibus possint aevi contingere florem. IV. 1133 sq.: quoniam medio de fonte leporum surgit amari aliquit, quod in ipsis floribus angat = in iucundissimo vitae fructu. — III. 221: Bacchi . . . flos evanuit. Plaut. Curc. 96: Flos veteris vini naribus meis obiectust. Similiter etiam verbum usurpatum est Lucr. II. 848: et nardi florem, nectar qui naribus halat; nos quoque dicimus »Blume des weines«. — Saepissime limen et janua ad vitam mortemque transferuntur. III. 681: vitae cum limen inimus. II. 960: leti iam limine ab ipso. III. 67: et quasi iam leti portas cunctarier ante. V. 373: haut igitur leti praeclusa est ianua caelo. V. 1231 sq.: quoniam violento turbine saepe correptus nilo fertur minus ad vada leti. VI. 1157: leti iam limine in ipso. VI. 1208: metuentes limina leti. I. 1112: haec rebus erit pars ianua leti. Similiter legimus Ov. trist. III. 2, 30: meique interitus clausas esse vetate fores; ib. III. 2, 23: totiens nostri pulsata sepulcri ianua. Culex 221: iam te restitui superis leti iam limine ab ipso. Ov. met. I. 662: praeclusaque ianua leti. — I. 852: leti sub dentibus ipsis. I. 493 exstat: tum glacies aeris flamma devicta liquescit. Munro hoc loco adnotat, singularem hanc esse translationem; simile exemplum exstat Mart. I. 49, 12: Salone qui ferrum gelat. — I. 737 legimus adytum cordis. Comp. Ov. met. XV. 145: angustae reserabo oracula mentis. — II. 79: et quasi cursores vitai lampada tradunt. Varro d. re rust. III. 16, 9: nunc cursu lampada tibi trado. V. 401 sq.: solque cadenti obvius

aeternam succepit lampada mundi; ib. 610: rosea sol lampade lucens; ib. 976; dum rosea face sol inferret lumina caelo. VI. 1198: nona lampade = nono die. — II. 465: sudor maris = salsa maris aqua. — III. 1034: Scipiadas, belli fulmen etc. Aen. VI. 842: geminos, duo fulmina belli. — VI. 681: Aetnae fornacibus. Verg. georg. I. 472: undantem ruptis fornacibus Aetnam. — II. 375 invenimus: telluris gremium. VI. 538 sq.: terram . . lacus multasque lacunas in gremio gerere. I. 250 sq.: postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether in gremium matris terrai praecipitavit. Hoc loco praecipitare quoque ut saepius apud alios scriptores transfertur. Comp. Aen XI. 2 sq.: sociis dare tempus humandis praecipitant curae; ib. II. 316 sq.: furor iraque mentem praecipitant. Val. IV. 626: socios praecipitat, V. 269: praecipitatque patres. — I. 947 mel pro dulcedine positum est: et quasi musaeo dulci contingere melle. — III. 988 sq.: qui non sola novem dispessis iugera membris optineat. Etiam pro conclavi membrum a Lucretio usurpatur: VI. 804; at cum membra domus percepit fervidior vis. VI. 808: denique ubi argenti venas aurique sequuntur. — Texturam saepius translatam invenimus: III. 208 sq: haec quoque res etiam naturam dedicat eius (scl. animi), quam tenui constet textura. I. 246 sq: incolumi remanent res corpore, dum satis acris vis obeat pro textura cuiusque reperta. IV. 157 sq.: perpetuo fluere ut noscas e corpore summo texturas rerum tenuis tenuisque figuras. IV. 196 sq.: (simulacra) quod usque adeo textura praedita rara mittuntur. — III. 772 sq.: (anima) an metuit conclusa manere in corpore putri, et domus aetatis spatio ne fessa vetusto obruat? — VI. 954: denique qua circum caeli lorica coercet. Lachmannus pro »caeli« »Galli« legi vult; sed illa lectio praeferenda est; similiter VI. 1134 exstat: caeli amictus, quod idem significat ac moenia mundi.

c. Translationes adiectivorum.

II. 844: (corpora) sonitu sterila et suco ieiuna feruntur. Cic. orat. 106: ieiunas igitur huius .... orationis aures civitatis accepimus. — II. 838: scire licet quaedam tam constare orba colore. — laetus saepissime apponitur ad pabula, arbusta, urbem etc. — VI. 258 sq: sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram fulminibus gravidam tempestatem atque procellis. VI. 281 sq. Lachmannus in textum recepit: inde ubi percaluit gravida, aut vis ignis et acer impetus incessit, maturum tum quasi fulmen perscindit subito nubem etc. Munro magis libros manu scriptos secutus legi vult: inde ubi percaluit venti vis et gravis ignis. VI. 295 sq: est etiam cum vis extrinsecus incita venti incidit in gravidam maturo fulmine nubem; in libris manu scriptis pro gravidam »valida« exstat, Munro »calidam« legi vult. Sed mea sententia ad »maturo fulmine« melius »gravidam« apponitur, ita ut fulmen quasi fetus maturus nubis gravidae sit. Similes translationes etiam apud alios scriptores inveniuntur: Aen. IV. 229 sq.: sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret; ib. X. 87: gravidam bellis urbem. Val. V. 22: praecipiti gravidus iam sorte parens — I. 644: fucata sonore; nos quoque de »Tonfarbe« dicimus. — I. 727 sq.: gentibus humanis regio visendaque fertur, rebus opima bonis, multa munita virum vi. Cic. d. div. I. 22: sapientia munitum pectus. Similiter Lucr. II. 7 sq. exstat: munita tenere edita doctrina sapientum templa serena. Similiter muniendi verbum transfertur IV. 1249: natis munire senectam. — I. 1102: ne volucri ritu flammarum etc. VI. 173: volucri lumine. V. 738: zephyrus pennatus. V. 1075: pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris. — II. 319: invitant herbae gemmantes rore recenti. Culex 69: gemmantis per herbas. — IV. 436 sq.: at maris ignaris in portu clauda videntur navigia etc. Liv. XXXVII. 24: claudas mutilatasque naves. — IV. 1048: idque petit corpus, mens unde est saucia amore. Supra nobis »vulnus amoris« occurrit. — IV. 1161: nervosa ac lignea dorcas. Cat. 23, 6: et cum coniuge lignea parentis. — VI. 119 sq.: aridus unde auris

terget sonus ille diuque ducitur. Verg. georg. I. 357: aridus altis montibus audiri fragor. Lucr. VI. 1175: sitis arida i. e. quae corpus aridum reddit; item cura frigida talis est, quae terrore corpus frigidum et correptum reddit: IV. 1059 sq.: primum Veneris dulcedinis in cor stillavit gutta, et successit frigida cura. III. 299: at ventosa magis cervorum frigida mens est. III. 930: frigida quem semel est vitai pausa secuta. — II. 625: munificat tacita mortalis muta salute. Val. II. 100: tacitae Martem tenuere catenae, i. e. furtim paratae. — VI. 152 exstat: lauricomos per montis — IV. 460: severa silentia noctis. — III. 12: aurea dicta i. e. praeclarissima. — IV. 173: atrae formidinis; aliis locis exstat atra nox. — IV. 582 sq.: quorum noctivago strepitu ludoque iocanti affirmant vulgo taciturna silentia rumpi; similiter exstat V. 932: volvivago . . . . more ferarum. — VI. 204 sq.: hac etiam fit uti de causa mobilis ille devolet in terram liquidi color aureus ignis, quo loco duas pulcherrimas translationes coniunctas habemus; »liquidus« saepius transfertur. IV. 981: liquidum carmen. V. 281: liquidum lumen. VI. 638*): qua via secta semel liquido pede detulit undas. —

De prosopopoeia.

Saepissime Lucretius hoc tropo utitur, cum tot locis id quod vitam vocamus, rebus naturae absterrere videatur et cum, quod ad id tempus creditum erat, deos fluviorum et montium aliosque esse, neget. Lucretii enim sententia omnia ex atomis constant et e. gr. in sideribus, quae tam saepe ab eo animantur, vita non inest. Saepissime tamen rebus, quae in natura sunt, affectus et actiones humanas tribuit. I. 286 sq.: ita magno turbidus imbri molibus incurrit, validis cum viribus, amnis. V. 386: amnes . . . minantur. V. 945 sq: sedare sitim fluvii fontesque vocabant, ut nunc montibus e magnis decursus aquai clarigitat late sitientia saecla ferarum. Ad notandum est hoc loco, primum Ritschelium eumque secutos alios »clarigitat« repudiare; Munro

pro eo »claru' citat« legi vult, Pollius Ritschelium secutus »largu' citat«. Hor. od. III. 13, 15: unde loquaces lymphae desiliunt tuae; epod. XVI. 47: montibus altis levis . . . lympha desilit pede. Aen. IV. 168: summoque ulularunt vertice nymphae; ib. VII. 759: vitrea te Fucinus unda, te liquidi flevere lacus. Val. IV. 374: flerunt Messeides undae. — Lucr. II. 557 sq.: infidi maris insidias virisque dolumque ut vitare velint. Val. I. 9: Oceanus indignatus. Aen. VIII. 728: pontem indignatus Araxes. — Lucr. II. 559: subdola cum ridet placidi pellacia ponti. V. 1004 sq.: nec poterat quemquam placidi pellacia ponti subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. His locis ut supra vidimus circumscriptionis exempla exstant. I. 8: rident aequora ponti. VI. 1077: mare si totum velit eluere omnibus undis. V. 395: et semel, ut fama est, umor regnarit in arvis. Alia Vergilii et Valerii exempla afferre liceat. Aen. X. 227: tacitis undis, ib. 307: retrahitque pedem simul unda relabens; ib. VIII. 91: minantur et undae; ib. IV. 523 sq.: saeva quierant aequora; VII. 6 sq.: alta quierunt aequora. Valerii exempla habes: I. 281: miserantibus undis; IV. 404 sq.: gnara futuri dant placida alta viam. — Montes et silvae saepius animata fiunt. I. 722: et hic Aetnaea minantur murmura = Aetna murmurans. II. 593: eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae. Utroque loco circumscriptionis exemplum exstat. IV. 578 sq.: ita colles collibus ipsi verba repulsantes iterabant docta referri. Lapides quoque et arbores et herbae, quae in silvis et montibus inveniuntur, animantur. I. 491: dissiliuntque fero ferventia saxa vapore. II. 447 sq.: in quo iam genere in primis adamantina saxa prima acie constant ictus contemnere sueta. IV. 573 sq.: quo pacto per loca sola saxa paris formas verborum ex ordine reddant. V. 306: denique non lapides quoque vinci cernis ab aevo? V. 1370 sq.: inque dies magis in montem succedere silvas cogebant infraque locum concedere cultis. II. 318 sq.: quo quamque vocantes invitant herbae gemmantes rore recenti. VI. 786 sq.: est etiam magnis Heliconis montibus arbos floris odore hominem taetro consueta

necare. I. 187: e terraque exorta repente arbusta salirent. II. 1161 sq. Christius ita legi vult: conterimus boves et viris agricolarum conficimus, ferrum vix arvis suppeditat iam, usque adeo parcunt fetus augentque laborem (scl. arva); haec lectio mea sententia ei quam Lachmannus et alii praebent praeferenda est. — Similia exempla etiam apud Vergilium et Valerium inveniuntur: Aen. XII. 722: gemitu nemus omne remugit. De saxis Vergilius georg. II. 360 dicit: contemnere ventos adsuescant. Val. VIII. 119 sq.: Phryxeae monumenta fugae vix reddidit arbor cum gemitu. — Nomina urbium animata exstant: III. 1034: Carthaginis horror, ubi Carthaginis metonymice pro »Carthaginiensium« dictum est. VI. 1: Primae frugiparos fetus mortalibus aegris dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae.

Deinde saepissime soli - ceterisque sideribus affectus et actiones humanae tribuuntur I. 806: solque sua pro parte fovet tribuitque calorem. II. 150: at vapor is quem sol mittit lumenque serenum. V. 383 sq.: vel cum sol et vapor omnis omnibus epotis umoribus exsuperarint. V. 401 sq.: solque cadenti obvius aeternam suscepit lampada mundi. V. 937 sq.: quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat sponte sua, satis id placabat pectora donum. V. 1336 sq.: at vigiles mundi magnum versatili' templum, sol et luna, suo lustrantes lumine circum, perdocuere homines. II. 1031 poeta sidera palantia vocat. I. 1034 exstat: vivant labentes aetheris ignes. Aen. II. 9.: suadent cadentia sidera somnos; XI. 259: scit triste Minervae sidus. Val. VI. 442: sidera fixa pavent et avi stupet orbita Solis. — III. 899 sq. optime exstat: misero misere .... omnia ademit una dies infesta tibi tot praemia vitae. III. 908: nulla dies . . e pectore demet. V. 95: una dies dabit exitio; item V. 1000: una dies dabat exitio. II. 578 sq.: nec nox ulla diem neque noctem aurora secutast, quae non audierit mixtos vagitibus aegris ploratus, mortis comites et funeris atri. I. 1115: nec tibi caeca nox iter eripiet. IV. 460 sq.: severa silentia noctis undique cum constent. V. 1190: et noctis signa severa. II. 144: aurora novo cum spargit lumine terras.

Aliorum exempla comparemus: Mommsen inscript. regn. Neapol. 3133 pulcherrimum exemplum praebet: apstulit haec unus tot tantaque munera nobis perfidus infelix horrificusque dies. Ov. fast. II. 236: ad bellum missos perdidit una dies. Aen. IX. 459 sq.: et iam prima novo spargebat lumine terras .... aurora; VIII. 94: olli remigio noctem diemque fatigant. Val. III. 211: lentis haeret nox conscia bigis; V. 278: nox hominum genus et duros miserata labores; VII. 393: stupet ipsa gravi nox tardior umbra; IV. 276: ille dies vidit; VIII. 180: crastina dies vocat; V. 598: Marte diem noctemque fatigat. — Lucr. II. 1168 sq.: vetulae vitis sator .... caelum fatigat. I. 9: placatumque nitet .... caelum. VI. 48: ventorum ex ira ut placentur. I. 68 sq.: quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti murmure compressit caelum. II. 1066: avido complexu quem tenet aether. — Phaedr. IV. 20: caelum fatigas sordido iniurio. Aen. IX. 504: caelum remugit; VII. 34: aethera mulcebant cantu; X. 102: silet arduos aether; X. 101: deum domus alta silescit. Val. III. 348: inhorruit aether. — Tum venti, fulmina et alia saepe vivata nobis occurrunt: I. 275 sq.: ita perfurit acri cum fremitu saevitque minaci murmure ventus. VI. 557 sq.: praeterea ventus .... urget obnixus magnis speluncas viribus altas. I. 295 sq.: quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca, quandoquidem factis et moribus aemula magnis amnibus inveniuntur. VI. 97 sq.: propterea quia concurrunt sublime volantes aetheriae nubes contra pugnantibu' ventis. VI. 196 sq.: quas venti cum tempestate coorta conplerunt, magno indignantur murmure clausi nubibus, in caveisque ferarum more minantur. V. 1382 sq.: et zephyri, cava per calamorum, sibila primum agrestis docuere cavas inflare cicutas. V. 737 sq.: it ver et Venus, et veris praenuntius ante pennatus graditur zephyrus, vestigia propter Flora quibus mater praespargens ante viai cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet; inde loci sequitur calor aridus et comes una pulverulenta Ceres et etesia flabra aquilonum, inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan. inde aliae tempestates ventique secuntur, altitonans Volturnus

et auster fulmine pollens. tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem, prodit hiemps, sequitur crepitans hanc dentibus algor. I. 899: validis facere id cogentibus austris. VI. 715 sq.: aut quia sunt aestate aquilones ostia contra . . . . et contra fluvium flantes remorantur et undas cogentes sursus replent coguntque manere. Permulta praeterea exempla inveniuntur, quae omnia enumerare longum est. Aen. II. 304: furentibus austris; III. 356: aurae vela vocant; V. 764: vocat auster in altum. Val. IV. 270: ventis certantibus; VI. 1665: alludit auster; Vergilius Aen. I. 55 similiter ac ut supra Lucretius de ventis dicit: illi indignantes magno cum murmure montis circum claustra fremunt. — Lucr. VI. 277: insinuatus ibi vortex versatur in arto et calidis acuit fulmen fornacibus intus. — VI. 146 sq.: (nubes) haec multo si forte umore recepit ignem, continuo magno clamore trucidat. VI. 116 sq.: fit quoque enim inter dum ut non tam concurrere nubes frontibus adversis possint. VI. 509: nubes . . . mittere certant. — V. 1092*) sq.: fulmen detulit in terram mortalibus ignem. VI. 223 sq.: (fulmina) praeterea saepe accendunt quoque tecta domorum et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis. I. 762: fulmina diffugere. — V. 174: autumno suadente. VI. 641 sq.: neque enim mediocri clade coorta tempestas Siculum dominatur per agros. VI. 355 sq.: cum commoliri tempestas fulmina coeptat. II. 32 sq.: praesertim cum tempestas adridet et anni tempora conspergunt viridantis floribus herbas. VI. 458: donec tempestas saeva coortast. Pulcherrimum exemplum exstat V. 1395 sq.: praesertim cum tempestas ridebat et anni tempora pingebant viridantis floribus herbas. — Saepissime ignis animatur: II. 191 sq.: nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum et celeri flamma degustant tigna trabesque. V. 523*) sq.: (ignes) sive ipsi serpere possunt, quo cuiusque cibus vocat atque invitat aventis, flammea per caelum pascentis corpora passim. VI. 152: flamma vagetur. Aen. V. 680 sq.: sed non idcirco flamma atque incendia vires indomitas posuere; XI. 189: maestum ignem. Val. VII. 586: viso pallescit flamma veneno. — I. 1091: quod calor a medio

fugiens. II. 517: ambit enim calor ac frigus. VI. 1191 sq.: a pedibusque minutatim succedere frigus non dubitabat. V. 519*): sive quod inclusi rapidi sunt aetheris aestus quaerentesque viam circum versantur. V. 483 sq.: inque dies quanto circum magis aetheris aestus et radii solis cogebant undique terram verberibus crebris. V. 809: quos ubi tempore maturo pate fecerat aestus infantum. VI. 481: urget enim quoque signiferi super aetheris aestus. VI. 1049 sq.: propterea quia, ni mirum, prius aestus ubi aeris praecepit ferrique vias possedit apertas, posterior lapidis venit aestus et omnia plena invenit in ferro neque habet qua tranet ut ante. — VI. 162 sq.: nam tum quoque lumen exilit. V. 295 sq: lumina . . . . properant . . . . suppeditare novom lumen, tremere ignibus instant. — IV. 364 sq.: umbra videtur item nobis in sole moveri et vestigia nostra sequi gestumque imitari. IV. 373 sq.: quae fuit umbra corporis, e regione eadem nos usque secuta. – Saepissime natura et res, e quibus universum constat, vivata fiunt. I. 321: invida praeclusit spatium natura videndi. I. 215: accedit uti quicque in sua corpora rursum dissolvat natura neque ad nilum interemat res. V. 199*) de natura dicitur: tanta stat praedita culpa. II. 1090 sq.: natura videtur libera continuo, dominis privata superbis. III. 931 sq.: denique si vocem rerum natura repente mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa; sequuntur verba, quae naturae increpanti tribuuntur. I. 498 sq.: sed quia vera tamen ratio naturaque rerum cogit. III. 711 sq.: qua propter neque natali privata videtur esse die natura animae nec funeris expers. II. 992 sq.: alma . . . . mater cum terra recepit. — I. 132 sq.: et quae res . . . . mentes terrificat. I. 266: (res) ad nil revocari. Saepissime invenimus, quod I. 893 exstat: manifesta docet res; I. 803: manifesta palam res indicat. II. 575 sq.: nunc hic nunc illic superant vitalia rerum et superantur item; VI. 1058: (res) pondere enim fretae partim stant; VI. 369 sq.: quare pugnare necessest dissimiles inter se res turbareque mixtas; VI. 568 sq.: vis nulla refrenet res neque ab exitio possit repre-

hendere euntis. Permulta alia exstant exempla. — Eodem modo simulacra rerum animantur: IV. 392 sq.: indugredi porro pariter simulacra pedemque ponere nobiscum credas gestumque imitari. IV. 609 sq.: at simulacra viis derectis omnia tendunt, ut sunt missa semel. II. 112 sq.: cuius, uti memoro, rei simulacrum et imago ante oculos semper nobis versatur et instat. – II. 973 sq.: uti possint sentire animalia quaeque, principiis si iam est sensus tribuendus eorum, quid, genus humanum propritim de quibu' factumst? scilicet, et risu tremulo concussa cachinnant et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque multaque de rerum mixtura dicere callent etc. I. 918: hac ratione tibi pereunt primordia rerum: fiet uti risu tremulo concussa cachinnent et lacrimis salsis umectent ora genasque. I. 1021 sq.: nam certe neque consilio primordia rerum ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt. II. 80 sq.: si cessare putas rerum primordia posse cessandoque novos rerum progignere motus. I. 848 sq.: si primordia sunt .... aequeque laborant et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat. — I. 675 sq.: corpora . . sunt, quae conservant naturam semper eandem, quorum abitu aut aditu etc. I. 384 sq.: corpora lata si cita dissiliant. II. 187: ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem. II. 964 sq.: ubi materiai corpora vi quadam ... sollicitata suis trepidant in sedibus intus, inque locum quando remigrant etc. I. 680: (corpora) nil referret enim quaedam decedere, abire. V. 449 sq.: terrai corpora . . . coibant in medio atque imas capiebant omnia sedes. — V. 660 sq.: aut quia conveniunt ignes et semina multa confluere ardoris consuerunt tempore certo. IV. 1005: (seminia) tam magis in somnis eadem saevire necessest. — I. 1058 sq.: et quae pondera sunt, sub terris omnia sursum nitier in terraque retro requiescere posta. II. 204 sq.: quamquam pondera, quantum est in se, deorsum ducere pugnent. — I. 1008 sq.: ipsa modum porro sibi rerum summa parare ne possit, natura tenet. — III. 757: traiciuntur enim partes et ordine migrant. V. 380 sq.: inter se cum maxima mundi pugnent membra, pio nequaquam concita

bello. V. 385: (membra) quod facere intendunt neque adhuc conata patrantur. — Item neutrum et singularis et pluralis numeri saepe animatur: I. 325: nec porro quae cumque aevo macieque senescunt. I. 1056: quod in medium sint omnia nixa. Cic. d. nat. deor. II. 115: omnes partes eius undique locum medium capessentes nituntur aequaliter. — VI. 777: multa meant inimica per auris. I. 825: nam quid in oppressu durabit eorum, quod mortem effugiat? II. 280 sq.: quiddam quod contra pugnare obstareque possit? cuius ad arbitrium etc. II. 867 sq.: neque id manufesta refutant nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt, sed magis ipsa manu ducunt et credere cogunt. III. 640 sq.: sed quod scinditur et partis discedit in ullas, scilicet, aeternam sibi naturam abnuit esse. IV. 463 sq.: (miracli multa) quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt. IV. 481: sponte sua veris quod possit vincere falsa. V. 377 sq.: neque enim, mortali corpore quae sunt, ex infinito iam tempore adhuc potuissent inmensi validas aevi contemnere vires. —

I. 8.: tibi suavis daedala tellus summittit flores. I. 135 morte obita quorum tellus amplectitur ossa. I. 228 sq.: aut redductum daedala tellus unde alit et auget generatim pabula praebens? V. 837 sq.: multaque tum tellus etiam portenta creare conatast. VI. 572 sq.: saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas quam facit. Pulcherrimum exemplum exstat I. 250: ubi eos pater aether in gremium matris terrai praecipitavit. II. 992 sq.: unde alma liquentis umoris guttas mater cum terra recepit etc. — II. 16: moenia mundi discedunt. V. 1215 sq.: (moenia mundi) an divinitus aeterna donata salute perpetuo possint aevi labentia tractu immensi validas aevi contemnere vires. VI. 122 sq.: divolsa repente maxima dissiluisse capacis moenia mundi. — IV. 366 sq.: aëra si credis privatum lumine posse indugredi, motus hominum gestumque sequentem. VI. 366 sq.: ut discordia sit rerum magnoque tumultu ignibus et ventis furibundus fluctuet aer. Permulta praeterea exempla inveniuntur. — VI. 1117: inde aliis alius locus est inimicus. V. 770: dum

(scl. luna) loca luminibus propriis inimica per exit. VI. 818 sq.: sic ea Averna loca alitibus summittere debent mortiferam vim. —

Saepius singulis corporis et ut ita dicam animi humani partibus affectus et cogitationes humanae tribuuntur. IV. 1106: cum praesagit gaudia corpus. III. 580 sq.: cum corpus nequeat perferre animai discidium. III. 342: non . . . animai discidium possunt artus perferre relicti. IV. 299: splendida porro oculi fugitant vitantque tueri. IV. 486 sq.: an poterunt oculos aures reprehendere, an aures tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris an confutabunt nares oculive revincent? III. 653: cum digitos agitat propter moribundus humi pes. VI. 1160 sq.: singultusque frequens . . . corripere adsidue nervos et membra coactans dissolvebat eos defessos ante, fatigans. II. 194 sq.: cum missus corpore sanguis emicat exultans alte spargitque cruorem. VI. 1185: sollicitae porro plenaeque sonoribus aures. VI. 1149: atque animi interpres manabat lingua cruore. Apud Vergilium et Valerium similia exempla invenimus. Aen. X. 341: dextera . . . moribunda, X. 463: morientia lumina, VI. 80: os rabidum, XI. 35: maestum crinem. Lucr. VI. 1152: in cor maestum. Val. VIII. 21: attonito pede, III. 40: inscia dextra, II. 200: pavidae aures, VII. 619: umeri videre diem, I. 109: umeri gaudentes. — Lucr. II. 1044: quaerit enim rationem animus. III. 446: senescere mentem. III. 457 sq: (mentem cum corpore) gigni pariter pariterque videmus crescere et . . . simul aevo fessa fatisci. III. 143: cetera pars animae per totum dissita corpus paret et ad numen mentis momenque movetur. III. 439: (anima) cum semel ex hominis membris ablata recessit. II. 14: pectora caeca. III. 81: maerenti pectore. II. 622: ingratos animos atque impia pectora volgi. I. 623 sq.: quod quoniam ratio reclamat vera negatque credere posse animum. V. 1447: nisi qua ratio vestigia monstrat. III. 550: atque alii sensus qui vitam . . . gubernant. III. 61: ut sensus . . . scit. III. 361: contra cum sensus dicat eorum. Alia exempla, quibus talia nomina, quae nos abstracta vocamus, animata fiunt, exstant:

IV. 765: praeterea meminisse iacet languetque sopore; meminisse hoc loco pro memoria positum est. II. 258: quo ducit quemque voluntas. III. 138 sq.: sed caput esse quasi et dominari in corpore toto consilium. III. 472: nam dolor ac morbus leti fabricator uterque est. III. 482: quod ne miremur sopor atque oblivia curant. I. 64 sq.: (religio) quae caput a caeli regionibus ostendebat . . . . mortalibus instans. I. 101: tantum religio potuit suadere malorum. II. 44 sq.: his tibi tum rebus timefactae religiones effugiunt animo pavide, mortisque timores tum vacuum pectus lincunt curaque solutum. III. 141: hic exultat enim pavor ac metus. II. 48 sq.: re veraque metus hominum curaeque sequaces nec metuunt sonitus armorum nec fera tela audacterque inter reges rerumque potentis versantur etc. III. 142: laetitiae mulcent. II. 171 sq.: mortalis quae suadet adire ipsaque deducit dux vitae dia voluptas et res per Veneris blanditur saecla propagent. II. 966: blanda voluptas. IV. 1057: namque voluptatem praesagit muta cupido. III. 1045 sq.: fitque voluntas eicere id quo se contendit dira lubido, idque petit corpus, mens unde est saucia amore. — III. 16: diffugiunt animi terrores. — VI. 1240 sq.: poenibat . . . incuria mactans. V. 1165 sq.: horror, qui delubra deum nova toto suscitat orbi terrarum et festis cogit celebrare diebus. V. 1125 sq.: et tamen e summo, quasi fulmen, deicit ictos invidia interdum contemptim in Tartara taetra. — V. 1400: lascivia laeta monebat. VI. 53 sq.: quod ignorantia causarum conferre deorum cogit ad imperium res et concedere regnum. I. 29 sq.: fera moenera militiai . . . sopita quiescant; similiter exstat Paterc. II. 89: sopitus ubique armorum furor. — II. 54: omnis cum in tenebris . . . . vita laboret. III. 1046: mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti. II. 10: palantis vitae. V. 1423 sq: tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis exercent hominum vitam belloque fatigant. IV. 506: nixatur vita salusque. IV. 761: quem relicta vita iam mors et terra potita est. III. 957 sq.: inperfecta tibi elapsast ingrataque vita, et nec opinanti mors ad caput adstitit ante. V. 221*): mors

immatura vagatur. — III. 915: (fructum vitae) neque post umquam revocare licebit. — I. 939 sq.: ut puerorum aetas inprovida ludificetur . . . deceptaque non capiatur. V. 672: nec minus in certo dentes cadere imperat aetas. II. 1070 sq.: quantam enumerare aetas animantum non queat omnis. I. 557 sq.: qua propter longa diei infinita aetas ante acti temporis omnis quod fregisset adhuc disturbans dissolvensque. III. 964 sq.: cedit enim rerum novitate extrusa vetustas. III. 1039 sq.: postquam matura vetustas admonuit memores motus languescere mentis. III. 449: inde ubi robustis adolevit viribus aetas. III. 451: post ubi iam validis quassatum est viribus aevi. Comp. Hor. sat. I. 9, 34: adoleverit aetas. Aen. XII. 438: adoleverit aetas. Georg. II. 367: ac dum prima novis adolevit frondibus aetas. — V. 103 sq.: ipsa videtur protrahere ad gestum pueros infantia linguae. V. 888 sq.: tum demum pueris aevo florente iuventas occipit et molli vestit lanugine malas. Aen. VIII. 160: tum mihi prima genas vestibat flore iuventus. — I. 414 sq.: ut verear ne tarda prius per membra senectus serpat et in nobis vitai claustra resolvat — Saepissime etiam vis et potestas, quae in circumscriptionibus exstant, animantur: IV. 681 sq.: permissa canum vis dicit. V. 560: vis animi, quae membra gubernat. VI. 325 sq.: nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis colligit et magnum conamen sumit eundi. III. 558 sq.: corporis atque animi vivata potestas inter se coniuncta valent vitaque fruuntur. III. 409: stat cernundi vivata potestas. — Alia exempla abstractorum personificationis inveniuntur: IV. 655: namque figurarum ratio ut motusque reposcunt. II. 954 sq.: fit quoque uti soleant . . . . motus vitalis vincere saepe. II. 625: tacita . . salute. II. 863: quibus nitatur summa salutis. II. 788 sq.: tum porro quae ducit et inlicit ut tribuamus principiis rerum non numquam causa colores, occidit. — VI 927: nec varii cessant sonitus manare per auras. IV. 221: nec variae cessant voces volitare per auras. IV. 565 sq.: in multas igitur voces vox una repente diffugit. - IV. 528 sq.: facitque asperiora foras

gradiens arteria clamor. — IV. 684 sq.: sic aliis alius nidor datus ad sua quemque pabula ducit et a tetro resilire veneno cogit. — IV. 123 sq.: divom numen sortisque fatigant. — IV. 692: (odor) errabundus enim tarde venit. IV. 153: quam meminit levor praestare salutem. — II. 580: ploratus, mortis comites et funeris atri. — V. 263 sq.: magnus decursus aquarum undique declarat. — I. 832: concedit nobis patrii sermonis egestas. — V. 440: discordia . . . turbabat proelia miscens. V. 1305: sic alid ex alio peperit discordia tristis. — V. 727 sq.: ut Babylonica Chaldaeum doctrina refutans astrologorum artem contra convincere tendit. — V. 1007: tum penuria deinde cibi languentia leto membra dabat. — V. 1452: usus et impigrae simul experientia vitae paulatim docuit pedetemtim progredientis. VI. 9: quae flagitat usus. — V. 858 sq.: aut dolus aut virtus aut denique mobilitas est ex ineunte aevo genus id tutata reservans. — IV. 453 sq.: cum suavi devinxit membra sopore somnus. — IV. 583: taciturna silentia rumpi. IV. 460: severa silentia noctis. Ov. ars II. 505. Aen. II. 255: tacitae per amica silentia lunae. — VI. 1179: mussabat tacito medicina timore. — Denique res hominum arte factae saepe animatae fiunt: V. 1237: concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur. II. 619 sq.: raucisonoque minantur cornua cantu et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis. IV. 543: tuba mugit. IV. 589: fistula silvestrem non cesset fundere musam. IV. 981: chordasque loquentis. II. 505 sq.: et cycnea mele Phoebeaque daedala chordis carmina consimili ratione oppressa silerent. — Alia exempla exstant III. 894: iam iam non domus accipiet te laeta. IV. 401 sq.: atria versari et circum cursare columnae usque adeo fit uti videantur, ubi ipsi desierunt verti, vix ut iam credere possint non supra sese ruere omnia tecta minari. V. 308: non delubra deum simulacraque fessa fatisci. VI. 564: protractaeque trabes inpendent ire paratae. V. 312: (monumenta) quae fore proporro vetitumque senescere credas. IV. 272: ianua cum per se transpectum praebet opertum. VI. 471 sq.: declarant litore vestes suspensae. V. 1293: inde

minutatim processit ferreus ensis. VI. 429 sq.: et quae cumque in eo tum sint deprensa tumultu navigia in summum veniant vexata periclum. IV. 436: at maris ignaris in portu clauda videntur navigia aplustris fractis obnitier undae. II. 555 sq.: fluitantia aplustra ut videantur et indicium mortalibus edant. V. 1138*): et capitis summi praeclarum insigne cruentum sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem. VI. 1044 sq. poeta de anulis dicit: exultare etiam Samothracia ferrea vidi et ramenta simul ferri furere intus ahenis in scaphiis, lapis hic Magnes cum subditus esset: usque adeo fugere ab saxo gestire videtur. —

B. De periphrasi.

Quint. VIII. 6, 59: Pluribus verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, periphrasin vocant, circuitum quendam eloquendi. Auct. ad Herennium IV. 32, 43: Circuitio est oratio rem simplicem adsumpta circumscribens elocutione. Circumscriptio a Lucretio saepissime adhibetur, ita pro simplici nomine genus vel saecla vel aliud verbum nominis genitivo adiecto ponit. II. 502: pavonum saecla = pavones. VI. 1109: usque ad nigra virum percocto saela colore; ib. 722. V. 967: silvestria saecla ferarum; ib. 1411: silvestre genus . . . terrigenarum. II. 597: montivago generi ferarum. V. 1084 sq.: cornicum . . . saecla vetusta corvorumque greges. VI. 766: serpentia saecla ferarum. V. 988: mortalia saecla. V. 1021: et pueros commendarunt muliebreque saeclum. IV. 586: et genus agricolum. V. 1039: alituum genus. II. 661 sq.: lanigerae pecudes et equorum duellica proles buceriaeque greges. V. 866: lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla. Ov. met. VI. 395: lanigerosque greges armentaque bucera. – IV. 997: catulorum blanda propago. VI. 1092: hominum generi pecudumque catervis. III. 741 sq.: triste leonum seminium. II. 342 sq: parturiunt genus humanum mutaeque natantes squamigerum pecudes. IV. 1232: sive virum suboles sive est muliebris origo. II. 1081 sq.: invenies

sic montivagum genus esse ferarum, sic hominum genitam prolem, sic denique mutas squamigerum pecudes et corpora cuncta volantum. I. 1015: nec mortale genus nec divom corpora sancta = nec homines nec di. V. 901: corpora fulva leonum = fulvi leones. Multa praterea exempla afferre longum est; alii quoque scriptores ita circumscripserunt: Verg. georg. III 264: genus acre leonum; ib. II. 151 sq.: saeva leonum semina.

Saepissime vis nomem poeta in circumscriptione adhibet. III. 7 sq.: aut quid nam tremulis facere artubus haedi consimile in cursu possint et fortis equi vis? III. 764: nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis. VI. 1222: fida canum vis. IV. 680 sq.: tum fissa ferarum ungula quo tulerit gressum permissa canum vis dicit. V. 964: violenta viri vis. Comp. Aen. IV. 132: odora canum vis. Val. III. 86: vis Achivum, VI. 683: vis ducum. — III. 170 sq.: si minus offendit vitam vis horrida teli ossibus ac nervis disclusis intus adacta. V. 28: tripectora ter gemini vis Geryonai. I. 271: venti vis incita. V. 1226: vis violenti per mare venti. VI. 529 sq.: omnia nix, venti, grando gelidaeque pruinae et vis magna geli. VI. 145 sq.: ubi e nubi in nubem vis incidit ardens fulminis. VI. 1225: extorquebat enim vitam vis morbida membris. V. 207*) sq.: vis humana .... consueta bidenti ingemere. II. 215: vis flammea = flamma. III. 397: (animus est) dominantior ad vitam quam vis animai. I. 72: ergo vivida vis animi pervicit. V. 397 sq.: avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum etc.; cf. III. 476 sq.: hominem cum vini vis penetravit acris. III. 583: emanarit uti fumus diffusa animae vis. I. 72: vivida vis animi pervicit. III. 746: vis animi pariter crescit cum corpore toto. V. 560: vis animae, quae membra gubernat. V. 557 sq.: tenuissima vis animai, propterea quia tam coniuncta atque uniter apta est. VI. 1001: causa pate fiet, quae ferri pelliciat vim. — Pluralis quoque ita usurpatur V. 1269 sq.: nec minus argento facere haec auroque parabant quam validi primum violentis viribus aeris. — Eodem modo etiam naturae nomine poeta utitur:

I. 194 sq.: nec porro secreta cibo natura animantum propagare genus possit vitamque tueri. I. 1038 sq.: nam vel uti privata cibo natura animantum diffluit amittens corpus. I. 281: et cum mollis aquae fertur natura repente. II. 400 sq.: taetra absinthi natura ferique centauri foedo pertorquent ora sapore. II. 646 sq.: omnis enim per se divom natura necesse est immortali aevo summa cum pace fruatur. VI. 1009 sq.: nec res ulla magis primoribus ex elementis indupedita suis arte conexa cohaeret quam validi ferri natura et frigidus horror. VI. 1062: interutraque igitur ferri natura locata aeris ubi accepit quaedam etc. VI. 1042: fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat inter dum, fugere atque sequi consueta vicissim. I. 1054: mundi naturam stare. I. 710: rerum naturas = res. II. 81: naturam mundi = mundum. III. 708 particulae quibus haec animi natura creatur. Permulta praeterea exempla exstant. — Similiter potestas adhibetur: III. 247 sq.: inde calor motus et venti caeca potestas; ib. 269: sic calor atque aër et venti caeca potestas. III. 558 sq.: corporis atque animi vivata potestas inter se coniuncta valent vitaque fruuntur. III. 600: conquassatur enim tum mens animaeque potestas. III. 674: si tantopere est animi mutata potestas. Quis non meminerit illius: »sass König Rudolfs heilige Macht?« Comparari etiam possunt Homeri *ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο*, *Πριάμοιο βίη*, *βίης Ἐτεοκλgreeίης* et alia. Sequentibus varia circumscriptionis exempla afferemus: I. 722 sq.: et hic Aetnaea minantur murmura flamarum rursum se colligere iras, ubi duas circumscriptiones coniunctas habemus. Ita etiam Valerius dicit IV. 149: ipsum horrisoni quatit ira flagelli; ibid. 532: parat ira parentis. — Lucr. III. 1032: et contemsit equis insultans murmura ponti. III. 750 sq.: effugeret canis Hyrcano de semine saepe cornigeri incursum cervi = cervum incurentem. I. 832 sq.: concedit nobis patrii sermonis egestas. III. 260: abstrahit invitum patrii sermonis egestas. IV. 414: at conlectus aquae digitum non altior unum = aqua collecta. Similiter Aetn. 294 exstat: pellit opus collectus aquae. — II. 593: eximiis vero furit ignibus impetus

Aetnae = Aetna iratus. V. 200: principio quantum caeli tegit impetus ingens. II. 559: subdola cum ridet placidi pellacia ponti = placidum pellax mare. V. 1004 sq.: nec poterat quemquam placidi pellacia ponti subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. I. 282 sq.: quam largis imbribus auget montibus ex altis magnus decursus aquai = aqua largiter decurrens. II. 633 sq.: qui Jovis illum vagitum in Creta quondam occultasse feruntur = Jovem vagientem. I. 939: ut puerorum aetas improvida ludificetur. V. 943 sq.: multaque praterea novitas tum florida mundi pabula dura tulit. V. 1063 sq.: inritata canum cum primum magna Molossum mollia ricta fremunt duros nudantia dentes = canes Molossi etc. V. 864 sq.: at levisomna canum fido cum pectore corda et genus omne quod est veterino semine ortum. V. 1316 sq.: nec poterant equites fremitu perterrita equorum pectora mulcere. II. 1093 sq.: sancta deum tranquilla pectora, pace quae placidam degunt vitam. II. 14: o miseras hominum mentes, o pectora caeca = o homines miseros. — VI. 167 sq.: caedere si quem ancipiti videas ferro procul arboris auctum = arborem. VI. 327: inde ubi non potuit nubes capere impetis auctum. II. 482: infinito corporis auctu. V. 1171: mirando corporis auctu. I. 554 sq.: ut nil ex illis a certo tempore posset conceptum summum aetatis pervadere ad auctum. V. 727 sq.: ut Babylonica Chaldaeum doctrina refutans astrologorum artem contra convincere tendit. Saepius orae additur, ubi nomen simplex sanum sensum redderet. IV. 214 sq.: iamne vides igitur quam puncto tempore imago aetheris ex oris in terrarum accidat oras. I. 720 sq.: angustoque fretu rapidum mare dividit undans Italiae terrarum oras a finibus eius. I. 170: inde enascitur atque oras in luminis exit. IV. 141*) sq.: nec speciem mutare suam liquentia cessant et cuiusque modi formarum vertere in oras. IV. 215: aetheris ex oris in terrarum accidat oras. I. 227 sq.: unde animale genus generatim in lumina vitae redducit Venus. — »Aurae« etiam saepius additur: I. 207 sq.: quo quaeque creata aëris in teneras possint proferrier auras.

I. 801: aeris auras. I. 783 sq.: ignem se vertere in auras aeris. — II. 1032: lunamque et solis praeclara luce nitorem = solem nitentem. IV. 537 sq.: nigrai noctis ad umbram aurorae perductus ab exoriente nitore. — Saepissime caelum circumscribitur; hic quoque sufficiat nonnulla significantissima exempla afferre: VI. 358: caeli domus. Similiter Aen X. 1: domus omnipotentis Olympi. Hor. od. II. 12, 8: fulgens contremuit domus Saturni veteris. — I. 1062: loca caeli; II. 1001: caeli templa, II. 1039: caeli lucida templa, V. 490 sq.: caeli fulgentia templa; VI. 388: caelestia templa; V. 521: caeli immania templa; V. 510*): magnus caeli orbis; I. 1105: caeli penetralia templa. Etiam ad mundum aliaque nomina »templa« ita apponitur: VI. 43 sq.: et quoniam docui mundi mortalia templa esse. V. 103: humanum in pectus templaque mentis. IV. 624: umida linguai circum sudantia templa. I. 120: Acherusia templa. — Umor, liquor alia simili modo apponuntur: I. 258: et candens lacteus umor. I. 307: umor aquai. I. 348 sq.: aquarum liquidus umor. II. 390: liquor almus aquarum. II. 398: mellis lactisque liquores. I. 938: mellis dulci flavoque liquore. III. 427: liquidus umor aquai. VI. 968: umor aquae. I. 496: lympharum rore. I. 771: roremque liquoris. IV. 438: rorem salis. V. 14 sq.: liquoris vitigeni laticem. VI. 1072 sq.: vitigeni latices aquai fontibus audent misceri. VI. 636*) materies umoris. — Saepius etiam »ora« apponitur: IV 136*) sq.: nam saepe Gigantum ora volare videntur et umbram ducere late. VI. 254: inpendent atrae formidinis ora superne. Ita etiam apud Valerium VII. 277: »ora procorum« pro procis exstat. — Alia exempla circumscriptionis exstant: V. 24 sq.: quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus ille leonis obesset = ille leo hians. — IV. 1077: fluctuat incertis erroribus ardor amantum = amantes inflammati. V. 1099*): et micat interdum flammai fervidus ardor. — I. 10: nam simul ac species patefactast verna diei = ver patefactum est; diei superfluum videtur esse. Alia exempla, ubi tali modo nomen superfluum additum est, exstant: V. 369: cladem pericli. VI. 1199: funera leti. III. 42: Tartara

leti. I. 887: ubere lactis. I. 557 sq.: qua propter longa diei infinita aetas. I. 1031 sq.: efficit ut largis avidum mare fluminis undis integrent amnes. VI. 833: regione loci. I. 958: nulla regione viarum. II. 249: nulla regione viai. V. 1124*): iter infestum fecere viai. Supra verna attributum est ad species neque, quod exspectamus, ad diei. Huius quoque usus varia apud Lucretium exempla exstant: I. 119: per gentis Italas hominum. I. 474: Alexandri Phrygio sub pectore. IV. 733: Cerbereasque canum facies. IV. 134: mundi speciem violare serenam. Hor. ep. X. 12: Graia victorum manu. — I. 29 sq.: effice ut interea fera moenera militiai . . . . sopita quiescant = fera bella. — II. 627 sq.: rosarum floribus = rosis. V. 68: sidera, solem lunaique globum = lunam. V. 432: solis rota . . . . altivolans. V. 481: maxuma qua nunc se ponti plaga caerula tendit = pontus caerulus. — III. 371: Democriti quod sancta viri sententia ponit. Similiter III. 14 sq. legimus: nam simul ac ratio tua coepit vociferari naturam rerum = tu coepisti. — I. 68 sq. Lachmannus legi vult: fana deum, Munro autem libros mss. secutus: quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti murmure compressit caelum. Similia exempla exstant Liv. X. 24: ad famam populi Romani pertinere. Aen. VII. 731: attollens umero famamque et fata nepotum. Comp. VI. 79: deum numina. — I. 96 sq.: non ut solemni more sacrorum perfecto = sacris solemnibus perfectis. — IV. 680 sq.: tum fissa ferarum ungula quo tulerit gressum = quo ferae iverint. — I. 492: tum labefactatus rigor auri solvitur aestu = aurum rigidum. I. 881 sq.: fruges . . . minaci robore cum saxi franguntur = saxo robusto. II. 449: et validi silices ac duri robora ferri. Verg. georg. I. 162: grave robur aratri. Pac. 11: Fruges frendo sola saxsi sic protritas robore. — IV. 1143: prendere quae possis oculorum lumine operto = oculis opertis. — Pro simplici verbo Lucretius saepe circumscriptione utitur: I. 379: ni spatium dederint = cesserint. IV. 41: discessum dederint. II. 639: vulnus dare = vulnerare. II. 885: dent motus accipiantque = moveant et moveantur. I. 208: dare meatum = ducere. II. 311: dat motus. III. 247:

motus . . accipit. II. 208: in quas cumque dedit partis natura meatum = vertit. IV. 598: colloquium dare = colloqui. IV. 847*): daret obiectum parmai laeva per artem = laeva parmam obiiceret. V. 53: dare dicta. V. 95: una dies dabit exitio. V. 1329: permixtasque dabant equitum peditumque ruinas. VI. 801: quam facile in medio fit uti des saepe ruinas. V. 347: darent late cladem magnasque ruinas. I. 740: fecere ruinas = corruerunt. II. 1145: dabunt labem putrisque ruinas. I. 280: dat stragem. II. 187: dent fraudem. II. 119: dare pausam. V. 872: dare utilitatem. Multa eiusdem modi exempla praeterea in libro sexto inveniuntur. Item poeta edere aliaque verba adhibet: II. 816: variantes edere tactus. II. 443: varios quae possint edere sensus. III. 560 sq.: nec sine corpore enim vitalis edere motus sola potest animi per se natura. IV. 1009 sq.: proelia, pugnas edere. IV. 1015: gemitus edere. V. 1076: fremitum edere. V. 1307: augmen addere = augere. II. 188: augmina sumunt. V. 681: cum sumant augmina noctes. V. 820: omnia enim pariter crescunt et robora sumunt. V. 895 sq.: robora sumunt corporibus. Ov. met. XV. 420: sic tempore verti cernimus illas atque adsumere robora gentes. — VI. 326: conamen sumit eundi. VI. 1041: partem in vacuam conamina sumpsit. — II. 73: unde abeunt, minuunt, quo venere, augmine donant. — Deinde poeta saepe totas sententias ponit pro singulis verbis. Ita I. 257 »corpora deponunt« pro »considunt« legimus. Alii hoc loco explicant: »cum parturiunt«, sed corpora hoc loco non sunt fetus, quod ex aliis aliorum scriptorum exemplis probatur: Hor. od. II. 7, 18: fessum militia corpus depone. Ov. met. I. 300: ponunt sua corpora. Similiter apud Lucretium exstat VI. 751: quo numquam pennis appellunt corpora raucae cornices. Saepius etiam »curare corpora« nobis occurrit, e. gr. V. 939. V. 1394 legimus: non magnis opibus iucunde corpora habebant = vivebant. V. 1318: inritata leae iaciebant corpora saltu, quod etiam id quod ad »corpora deponunt« diximus, comprobat. — I. 903: creant

incendia silvis. — I. 97: claro comitari Hymenaeo = nubere. — I. 5: visitque exortum lumina solis = nascitur. I. 170: inde enascitur atque oras in luminis exit. III. 681: tum cum gignimur et vitae cum limen inimus. I. 206 sq.: quo quaeque creatae aëris in teneras possint proferrier auras. III. 849: atque iterum nobis fuerint data lumina vitae. V. 857: nam quae cumque vides vesci vitalibus auris = quaecunque vivere vides. V. 848: nec iungi per Veneris res = coire. — Neque vero initium solum, sed etiam finem vitae poeta multis modis circumscribit. IV. 766 sq.: nec dissentit eum mortis letique potitum iam pridem. I. 115: an tenebras Orci visat vastasque lacunas. III. 966: nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra. V. 988 sq.: nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla dulcia linquebant labentis lumina vitae = moriebantur. II. 1173 sq.: nec tenet omnia paulatim tabescere et ire ad capulam, spatio aetatis defessa vetusto. II. 917: et leti vitare vias. III. 542: lumina qui lincunt moribundi particulatim. — VI. 757 sq.: quadripedes quoque quo simul ac vestigia primum intulerint = iverint. III. 3 sq.: inque tuis nunc ficta pedum pono pressis vestigia signis = te sequar. — Denique haud praetereundum esse puto, poetam saepissime pluralem numerum adiectivi ad genitivum substantivi apponere, ubi adiectivum attributive appositum exspectamus, ita ut pro »bonus vir« e. gr. »bona viri« ponat. Pauca exempla ex multis, quae apud poetam exstant, affere liceat: I. 86: prima virorum = principes. Comp. Ov. am. I. 9, 37: summa ducum Atrides. Stat. silv. III. 3, 197: tibi cuncta tuorum parebunt; ib. V. 1, 79: qui cuncta suorum novit. — I. 340: sublimaque caeli; I. 1090: per caeli caerula; V. 772: magni per caerula mundi; III. 1100: caelique severa; VI. 817: in apertum promptaque caeli; V. 651: ultima caeli; I. 354: clausa domorum; I. 489: saepta domorum; II. 115: opaca domorum; VI. 951: per dissepta domorum saxea; VI. 561: tum supera terram quae sunt exstructa domorum; VI. 1283 sq.: aliena rogorum .... exstructa; I. 839: ex auri .... micis = ex auris micantibus. — V. 1382: cava per

calamorum; VI. 332: per rara viarum; II. 626: omne viarum; V. 739: cuncta viai; VI. 698: et penetrare maris penitus percocta; V. 417: ponti profunda; II. 575: vitalia rerum; I. 116: ultima naturae. I. 659: ardua dum metuunt, amittunt vera viai.

C. De epithetis.

Quint. VIII. 6, 40: Ornat enim ἐπίϑετον, quod recte dicimus appositum, a nonnullis sequens dicitur. -- Hic tropus omnium maxime ornatum orationis efficit itaque saepissime a poetis usurpatur. Cum longum sit omnia Lucretii exempla affere, significantissima et pulcherrima enumerare liceat. Quintilianus dicit, exornari rem maxime translationibus ut cupiditas effrenata, insanae substructiones, et huius quoque usus exempla apud Lucretium exstare sequentibus docebimus. Poeta autem appellat terras frugiferentes I. 3, terram almam II. 992; terras omniparentes II. 706; tellurem suavem daedalam I. 8; aras turicremas II. 353; umbras (noctis) roriferas VI. 864; telum volatile I. 970; serram stridentem II. 410; satyros capripedes IV. 580; cervos cornigeros III. 751, alipedes VI. 756; nemus frondiferum II. 259; voluptatem diam I. 171, blandam II. 966, liquidam III. 40; pastorum otia dia V. 1387; pabula, arbusta, vineta laeta I. 15, II. 594, V. 1372; urbes laetas I. 255; fruges nitidas I. 252; mare avidum V. 1031, immensum II. 590, navigerum I. 3, magnum III. 1029, altum V. 914, undans I. 720, rapidum I. 720; pelage sonora V. 35; ignem liquidum VI. 205, penetralem I. 535, aestiferum I. 663, calidum I. 1088; lumen volucre VI. 177, splendidum II. 108, liquidum V. 281, dulce V. 989, serenum II. 150; leones rabidos IV. 712*), saevos IV. 1016, validos V. 985; canes rabidos V. 992; sues saetigeros V. 969, spumigeros V. 985; quercus glandiferas V. 939; glandes caducas V. 1363; elephantum anguimanum II. 537, magnum I. 42; pruinas gelidas II. 515, rigidas II. 521; frigus rigidum I. 355, penetrale I. 494, manabile I. 535; umorem liquidum I. 349, tenerum I. 809, liquentem II. 992; litus

fluctifragum I. 305; undas glaucas I. 719, molles II. 375; puppes velivolas V. 1442; auras aeris teneras I. 207, tenuis I. 1088, liquidas V. 212*); glebas fecundas I. 211, putres V. 142; fontes ingenuos I. 230, volventes frigora II. 590, amoenos IV. 1024; noctem serenam I. 142, nigram IV. 537; mundum magnum V. 454, aeternum V. 514; aevum magnum V. 61; flabra (scl. ventorum) silvifraga I. 275; ventos validos I. 275; ferrum durum II. 449; gramen molle II. 29; arbores altas II. 30; digitos mobiles II. 413; saltus viridis II. 355, floriferos III. 11; lacrimas salsas I. 920.

D. De antonomasia.

Quint. VIII. 6, 29: Ἀντονομασία· quae aliquid pro nomine ponit, poetis quoque modo frequentissima, et per epitheton, quia detracto eo, quod apponitur, valet pro nomine, Tydides, Pelides: et ex his, quae in quocunque sunt praecipua, . . . divum pater atque hominum rex: et ex factis, quibus persona signatur, . . . Thalamo quae fixa reliquit impius. — Huius tropi exempla apud Lucretium exstant: I. 84: Triviai virginis = Dianae. Aen. VI. 69: Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templumst. — I. 464: Tyndaridem = Helenam. I. 926: Pieridum = musarum III. 1037: Heliconidum comites = poetae. I. 26: Memmiadae = Memmio. IV. 683: Romulidarum = Romanorum. I. 1: Aeneadum = Romanorum. III. 1034 Scipiadas = Scipio. VI. 1139: finibus in Cecropis = Athenis. VI. 1143: populo Pandionis omnei = Atheniensibus. I. 717 sq.: insula quem triquetris terrarum gessit in oris, quam fluitans circum magnis anfractibus aequor Ionium glaucis aspargit virus ab undis etc. = Sicilia. — I. 465: Troiiugenas gentis = Troianos. I. 477: Graiiugenarum = Graecorum. — Saepius pro mari alia nomina exstant: II. 472: Neptuni corpus acerbum. VI 405: liquidam molem camposque natantes. Aen. VI. 724: camposque liquentis. — V. 486: camposque natantes. — IV. 438: rorem salis. Verg. georg. IV. 431: rorem amarum. Aen. I. 35: spumas salis; ib. X. 24: campos salis. — VI. 1076:

non si Neptuni fluctu renovare operam des = aqua marina. III. 493: aequor salsum. III. 1031: pedibus salsas docuit super ire lacunas. I. 777: rore = aqua. II. 657: laticis = vini. I. 1086: magnasque e montibus undas = fluvios. — Etiam pro stellis et sideribus saepe alia nomina ponuntur: I. 2: caeli . . . labentia signa. Ov. fast. III. 113: caelo labentia signa. — I. 1034: et vivant labentes aetheris ignes. V. 1190: noctis signa serena. V. 1191: noctivagasque faces caeli. II. 206: nocturnasque faces caeli, sublime volantis. — I. 147: lucida tela diei = radii solis. V. 700: dum veniat radiatum insigne diei = sol. — Alia exempla exstant: I. 18: frondiferasque domos avium = silvas. I. 372: squamigeri = pisces. I. 162: squamigerum genus. II. 342 sq.: mutaeque natantes squamigerum pecudes. Plaut. rud. 942: sine squamoso pecu. — I. 877: lanigerae = oves. II. 318: lanigerae pecudes. – V. 900: barbigerae pecudes = caprae. III. 221: caprigenumque genus. II. 678 et saepius: pennipotentum = avium. — IV. 1051 hostem ruber occupat umor = sanguis. V. 1302 et saepius legimus »boves lucas« pro »elephantos«. V. 933: curvi moderator aratri = arator. II. 830: poeniceus color = purpura. II. 41: belli simulacra = signa militaria. Aen. V. 674. — III. 930: frigida quem semel est vitai pausa secuta = mors. III. 251: sive voluptas est sive est contrarius ardor = dolor. V. 1138*): capitis insigne = corona. Liv. XXXXV. 24: cum cruentam regiam vestem atque insigne capitis ostentarent. — IV. 1028: totius umorem saccatum corpori' fundunt = urinam. IV. 1055 sq.: gestitque coire et iacere umorem in corpus de corpore ductum = semen. IV. 1127 sq.: teriturque thalassina vestis adsidue et Veneris sudorem exercita potat.

E. De metonymia.

Quint. VIII. 6, 23: Metonymia, quae est nominis pro nomine positio, sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Cic. orat. 27, 93: Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur verba

pro verbis, *μετωνυμίαν* grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Comp. Cornific. ad C. Herenn. IV. 32, 43. Tryph. Walz. l. l. p. 739.

a. Causa efficiens pro re effecta usurpatur.

A poetis saepius nomen dei pro dono, quo homines donavisse dicitur, ponitur et Lucretius quoque hoc tropo utitur, quamvis alio loco hunc morem reiiciat aut certe improbet: II. 655 sq.: hic siquis mare Neptunum Cereremque vocare constituit fruges et Bacchi nomine abuti mavolt quam laticis proprium proferre vocamen, concedamus etc. Ita III. 221 legimus: Bacchi cum flos evanuit. V. 1304: Martis catervas = belli etc. V. 742 pulverulenta Ceres pro frugibus exstat. V. 737: it ver et Venus. Comp. supra p. 27 V. 743: inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan. Saepissime autem Venus pro amore et omnibus rebus, quae ad eum pertinent, ponitur, imprimis sub finem libri quarti. IV. 1052: sic igitur Veneris qui telis accipit ictus; 1278 sq.: nec divinitus inter dum Venerisque sagittis fit; 1059 sq.: primum Veneris dulcedinis in cor stillavit gutta, et successit frigida cura; 1073 nec Veneris fructu caret is qui vitat amorem; 1112: atque adeo cupide in Veneris compagibus haerent; 1235: ut sterili Venere exigat aevom; similiter 1251 legimus: et multae steriles Hymenaeis ante fuerunt; 1248: nam multum harmoniae Veneris differre videntur; 1276: et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset = fructus amoris; 1270 sq.: clunibus ipsa viri Venerem si laeta (scl. mulier) retractat atque exossato ciet omni pectore fluctus; 1107 sq.: atque in eost Venus ut muliebria conserat arva. — IV. 1185: nec Veneres nostras hoc fallit = amatas puellas. — IV. 589: fistula silvestrem ne cesset fundere musam = cantum. — I. 208 sq.: incultis praestare videmus culta loca et manibus melioris reddere fetus = labore manuum. II. 1165: in cassum manuum cecidisse labores = ea quae labore in agris creverant. — VI. 1197: octavoque fere candenti lumine solis = die. V. 681:

et minui luces, cum sumant augmina noctes. V. 687 sq.: ubi anni nodus nocturnas exaequat lucibus umbras = diebus noctes. V. 978: alterno tenebras et lucem tempore gigni. — I. 256: novis avibus canere undique silvas = cantu avium silvas undique resonare. Comp. Verg. georg. II. 328: resonant avibus virgulta canoris. — Imber saepissime pro aqua ponitur: VI. 149: ubi in gelidum . . . demersimus imbrem. I. 282 sq.: quam largis imbribus auget montibus ex altis magnus decursus aquai. —

b. Res effecta pro efficiente ponitur.

I. 405 »quietes« pro locis exstat, quae quietem praebent: intectas fronde quietes. I. 793 et saepius legitur: continuo hoc mors est illius, quod fuit ante = causa mortis. V. 174 sq. calor pro aestate ponitur, quae calorem efficit; legimus enim ibi: vere rosam, frumenta calore, vites autumno fundi suadente videmus. Comp. supra p. 27 VI. 737 sq., ubi item calor pro aestate exstat. III. 741 sq.: denique cur acris violentia triste leonum seminium sequitur, vulpes dolus, et fuga cervos? »Fuga« hoc loco pro ea re positum est, quae celerem fugam efficit i. e. pro celeritate. VI. 94: Calliope, requies hominum divomque voluptas, h. e.: Calliope, quae requiem hominibus, dis voluptatem praebes. III. 1034: Scipiadas . . . belli fulmen, Carthaginis horror. Verg. Aen. VI. 843: Scipiadas, clades Libyae. Prop. V. 10, 9: Acron . . . tuis quondam finibus horror erat. —

c. Abstractum pro iis personis et rebus ponitur, quibus ea qualitas attribui potest, quae substantivo abstracto exprimitur.

III. 3 Lucretius de Epicuro, quem alio loco vel deum appellat, dicit: Graiae gentis decus, i. e. »Graia gente digne«. Apud Valerium simile exemplum exstat IV. 630: decus o Boreae. — II. 590 sq.: unde mare immensum volventes frigora fontes adsidue renovent = aquas frigidas. —

d. Locus pro eo exstat, quod in eo est.

II. 776: vertitur in canos candenti marmore fluctus = in fluctus, quorum color marmoreus est. IV. 970: inventam patriis exponere chartis = versibus, qui in chartis sunt. V. 1442 sq.: urbes auxilia ac socios iam pacto foedere habebant; hoc loco »urbes« pro incolis dicitur, qui in urbibus sunt. III. 132: nomen ad organicos alto delatum Heliconi = ab arte musica delatum, cuius sedes ibi cogitabatur. III. 1034: Carthaginis horror = Carthaginiensium horror. VI. 1 sq.: Primae frugiparos fetus mortalibus aegris dididerunt quondam praeclaro nomine Aethenae.

F. De ironia.

Quint. VIII. 6, 57 sq. Tryphon (Walz. l. l. p. 755) dicit: *ἀντίφρασίς ἐστι λέξις διὰ τοῦ ἐναντίου ἢ παρακειμένου τὸ ἐναντίον παριστῶσα χωρὶς ὑποκρίσεως.* Apud Lucretium haec exempla exstant: I. 789: quod facere haud ullo debent primordia pacto = nullo. II. 750: haud ullo = nullo. V. 381: pio nequaquam . . . bello = maxime impio. — III. 64: non minimam partem. VI. 1559: nec minimam partem; utroque loco dici poterat quod VI. 1249 exstat: bonam partem. III. 330: haut facile est = difficile est. VI. 131: saepe det haut parvum sonitum; Munro pro eo »ita dat torvum sonitum« legi vult et Vergilii exemplum affert: Aen. VII. 399: torvumque repente clamat. — VI. 549: non magno. V. 1394: non magnis opibus = parvis. VI. 641: neque enim mediocri clade coorta. V. 684: non aequas. II. 423: haut sine principiali aliquo levore. II. 425: non aliquo sine materiae squalore. II. 327: non saepe = raro.

G. De hysterologia.

Gregorius Corinthius hunc tropum ita definit (Walz. Rh. Gr. VIII. p. 778): *ὑστερολογία ἐστὶ μέρος λόγου, ὅταν ὃ δεῖ πρῶτον λέγειν ὕστερόν τις ἐπιφέρῃ.* Georgius Choeroboscus dicit (Walz.

Rh. Gr. VIII. p. 818): *ὑστερολογία ἐστὶ λόγος πρῶτος ὕστερος λεγόμενος καὶ διὰ τοῦτο πρωθύστερος ὀνομαζόμενος.* Raro Lucretius hoc tropo utitur. V. 535: evanescere et decrescere. V. 625: evanescere . . . et minui. VI. 1032: trudit et impellit quasi navem velaque ventus. Ventus autem primum vela trudit eoque navem propellit. —

H. De synecdoche.

Quint. VIII. 6, 19 sq.: Haec variare sermonem potest, ut ex uno pluris intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra, liberior poetis quam oratoribus. Ad C. Herennium IV. 33, 44: Intellectio est, cum res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars. Tryphonis definitio haec est (Walz. Rh. Gr. p. 739 sq.): *Συνεκδοχή ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη, προςδεομένη δέ τινος ἔξωθεν ἀκολουθίας. τῶν δὲ συνεκδοχῶν εἰσι διαφοραὶ πλείους, αἱ μὲν γὰρ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δηλοῦσιν, ἢ ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος, ἢ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα, ἢ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον.*

a. Pars pro toto ponitur.

II. 811: pupula = oculus. IV. 716: pupillae = oculi. V. 1442: iam mare velivolis florebat puppibus. VI. 1262: tectum = domus. Puppis persaepe etiam ab aliis poetis pro nave ponitur. Aen. III. 135: iamque fere sicco subductae litore puppes. Pro loco inferorum saepe Acheruns exstat: III. 984: nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem; IV. 37 sq.: ne forte animas Acherunte reamur effugere.

b. Numerus singularis pro plurali ponitur.

II. 804 sq.: inter dum quodam sensu fit ut videatur inter curalium viridis miscere zmaragdos; curalium hoc loco pro »curalia« exstat. II. 552 sq.: sed quasi naufragiis magnis multis-

que coortis disiectare solet magnum mare transtra, guberna, proram, malos etc., ubi »proram« pro »proras« exstat. III. 750 sq.: effugeret canis Hyrcano de semine saepe cornigeri incursum cervi, tremeretque per auras aëris accipiter fugiens veniente columba, desiperent homines etc.; consentaneum est hoc loco numerum singularem totum genus significare itaque pro plurali positum esse. Saepius »viscus« pro »viscera« exstat: III. 719, III. 266: quod genus in quovis animantum viscere etc. — VI. 786 sq.: est etiam magnis Heliconis montibus arbos floris odore hominem taetro consueta necare; ter hoc loco singularis numerus pro plurali exstat. V. 822 sq.: quoniam genus ipsa creavit humanum atque animal prope certo tempore fudit. V. 1113: res inventast = res inventae sunt. —

c. Materia pro re, quae inde effecta est, ponitur.

V. 1289: aere solum terrae tractabant etc. = instrumentis ex aere factis. II. 325 sq.: totaque circum aere renidescit tellus = armis. II. 637: in numerum pulsarent aeribus aera. V. 934: nec scibat ferro molirier arva. — »Pennae« saepe pro alis exstat: VI. 821: quo simul ac primum pennis delata sit ales; VI. 834: claudicat extemplo pinnarum nisus inanis. V. 1039 sq.: alituum porro genus alis omne videmus fidere et a pennis tremulum petere auxiliatum.

I. De allegoria.

Quint. VIII. 6, 44 sq.: Ἀλληγορία, quam inversionem interpretantur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium... Tale Lucretii: Avia Pieridum peragro loca. — Lucretius ipse de allegoria dicit I. 641 sq.: omnia enim stolidi magis admirantur amantque, inversis quae sub verbis latitantia cernunt, veraque constituunt quae belle tangere possunt auris et lepido quae sunt fucata sonore. Exstant autem allegoriae exempla apud Lucretium haec: I. 70 sq.: inritat animi virtutem, effringere ut arta naturae primus portarum claustra cupiret. I. 117 sq.:

Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno detulit ex Helicone perenni fronde coronam. I. 412 sq.: usque adeo largos haustus e fontibu' magnis lingua meo suavis diti de pectore fundet. Similiter Horatius ep. I. 3, 10 dicit: Pindarici fontis qui non expalluit haustus. Pollius et alii loco Lucretiano legi volunt: »largis haustos e fontibus amnis«, quod eundem sensum reddit. — I. 638: Heraclitus init quorum dux proelia primus. — Pulcherrima allegoria exstat I. 922 sq.: sed acri percussit thyrso laudis spes magna meum cor et simul incussit suavem mi in pectus amorem musarum, quo nunc instinctus mente vigenti avia Pieridum peragro loca nullius ante trita solo, iuvat integros accedere fontis atque haurire, iuvatque novos decerpere flores insignemque meo capiti petere inde coronam, unde prius nulli velarint tempora musae. — II. 7 sq.: sed nil dulcius est bene quam munita tenere edita doctrina sapientum templa serena. Comp. Stat. silv. II. 4, 84: celsa tu mentis ab ara despicis errantes. — II. 573 sq.: sic aequo geritur certamine principiorum ex infinito contractum tempore bellum, nunc hic nunc illic superant vitalia rerum, et superantur item. — VI. 92: tu mihi supremae praescribta ad candida calcis currenti spatium praemonstra. Similiter Varr. sat. Men. 288 sq. legitur: Nemini fortuna currum a carcere intimo missum labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sivit. — III. 4 sq.: inque tuis nunc ficta pedum pono pressis vestigia signis = te, i. e. tuam sententiam sequar; ib. 6 sq. exstat: quid enim contendat hirundo cycnis aut quid nam tremulis facere artubus haedi consimile in cursu possint et fortis equi vis? Poeta hic se ipsum cum hirundine et haedo comparat, Epicurum autem, Graiae gentis decus, cum cycno, cuius cantus adeo concelebratur, et cum equo forti.

K. De hyperbole.

Quint. VIII. 6, 67: Hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui. Est haec decens veri superiectio: virtus eius ex diverso par, augendi atque minuendi. Auct. ad Herenn. IV. 33:

Superlatio est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendique causa. Tryph. (Walz. l. l. p. 746): ὑπερβολή ἐστι φράσις ὑπεραίρουσα τὴν ἀλήθειαν αὐξήσεως ἢ μειώσεως χάριν. — Lucretii exempla invenimus: I. 724 sq.: faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis ad caelumque ferat flammai fulgura rursum. Conf. Aen. II. 488: ferit aurea sidera clamor; ib. III. 574: (Aetna) sidera lambit; ib. IV. 89: aequataque machina caelo; ib. III. 619 sq.: ipse arduus altaque pulsat sidera. Val. II. 491: Neptunus muros cum iungeret astris; ib. IV. 149: (Amycus) qui vertice nubila pulset. Aen. I. 103: (procella) fluctus ad sidera tollit; III. 423: sidera verberat unda; III. 564: tollimur in caelum curvato gurgite; III. 567: rorantia vidimus astra. — I. 79: nos exaequat victoria caelo. Manil. II. 452: exaequentque fidem caelo mortalia saecla. — II. 325 sq.: fulgor ibi ad caelum se tollit totaque circum aere renidescit tellus, supterque virum vi excitur pedibus sonitus, clamoreque montes icti reiectant voces ad sidera mundi. — III. 842 sq.: non si terra mari miscebitur et mare caelo. Iuven. II. 25: Quis caelum terris non misceat et mare caelo. Aen. I. 133 sq.: caelum terramque miscere. Val. I. 586: miscere polumque infelixque fretum. — VI. 7 sq.: cuius, et extincti, . . . propter divina reperta divolgata vetus iam ad caelum gloria fertur. Memineris sis Homeri illius: κλέος οὐρανὸν ἵκει. — II. 358 sq.: completque querellis frondiferum nemus adsidueis. V. 992: et nemora ac montis gemitu silvasque replebat. V. 1066: et cum iam latrant et vocibus omnia complent. — II. 537 sq. de elephantis sermo est ibique poeta dicit: India quorum milibus e multis vallo munitur eburno, ut penitus nequeat penetrari, tanta ferarum vis est. — I. 412 sq.: usque adeo largos haustus e fontibu' magnis lingua meo suavis diti de pectore fundet, ut verear ne tarda prius per membra senectus serpat et in nobis vitai claustra resolvat, quam tibi de quavis una re versibus omnis argumentorum sit copia missa per auris. — VI. 667 sq.: unde repente queat tellus concussa moveri perque mare ac terras rapidus percurrere turbo,

ignis abundare Aetnaeus, flammescere caelum, id quoque enim fit, et ardescunt caelestia templa. Munro de hoc loco dicit, frigidas has hyperboles poetam philosophicum non decere; sed Lucretius non modo philosophus est, sed simul poeta, et mea sententia haec ornamenta sermonis ei vitio dari non possunt. —

Haec habui quae de Lucretii tropis dicerem. Ex exemplis allatis satis eluceat, eum linguae Latinae egestate impeditum non esse, quominus materiam difficillimam vere poetice tractaret. Magis autem etiam quam tropis sermo eius, ut supra diximus, figuris floret, itaque quicunque eius scriptis operam dederit, praedicare poterit, Lucretium utile dulci miscuisse

lectorem delectando pariterque monendo

et docendo, quod Horatianis illis verbis adiicere nobis liceat.

Sandoun 2/27/39